John Adams
Library,

IN THE CUSTODY OF THE
BOSTON PUBLIC LIBRARY.

SHELF Nº
ADAMS
180.3

VITÆ JURISCONSULTORUM

Quorum in Pandectis extant nomina

CONSCRIPTÆ

A

GUILIELMO GROTIO,

JCto. DELPH:

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud FELICEM LOPEZ.

CIↃ IↃC XC.

ADAMS 180.3

ILLUSTRISSIMO
CLARISSIMOQUE VIRO
DOMINO
ANTONIO
HEINSIO,

PRÆPOTENTIUM DD. ORDINUM HOLLANDIÆ WESTFRISIÆQUE CONSILIARIO ET SYNDICO. MAGNI SIGILLI CUSTODI. FEUDORUM PRÆFECTO ET SCRINIORUM FEUDALIUM. MAGISTRO. &c.

Itas illuſtrium Juriſconſultorum ab Optimo Parente meo, brevi olim compendio complexas ſed diu in ſitu tenebriſque ſepultas edituro occurrit præ cæteris magnum ac præclarum tuum nomen, cujus auſpiciis libellus hic exiguus inſignior in lucem prodeat.

Cum enim in brevi quasi tabella contineat adumbratas imagines omnium qui forensibus studiis Romæ olim claruerunt, quorum prudentia fuit fundamentum Reip: frænum tyrannidis ac præsidium juris & æqui, & tu animi magnitudine ac vitæ integritate omnium virtutum, quibus Roma stetit effigiem in te expresseris, nemo mihi magis idoneus visus est, cui offerrem hoc munusculum animi index tui quam maximè observantis. Nam quemadmodum non tam splendida Majorum stemmata quam, jurisprudentia legum mater ac vindex & virtutum illarum nutrix, qnibus floruerunt Romani rerum Domini, viam aperuit ad Sellas Curules & amplissima Reip: munia, sic te non tam Patricia tua familia virtutibus avitis fulgens, quam innata virtus, morum candor & mens juridicis studiis subacta, longo rerum usu limata, ac ingenuis artibus expolita ad Reip: nostræ clavum

vum evexit. Certe quando in hoc libello vitas revolvo clarorum virorum, qui in turbulentiſſimis Reip: ſuæ fluctibus animo inconcuſſo pro communibus Patriæ aris ac focis ſemet devoverunt, illorum virtutes jam exoletas & intermortuas diu, in te refloreſcere lætus conſpicor. Quocirca te venerantur omnes Conſultorum omnium diſertiſſimum & diſertorum omnium Conſultiſſimum. Tenes enim gubernacula Reip: quæ variis afflicta cladibus ex ſæviſſimis procellis emergens, & vix ad ſe rediens; nova iterum tempeſtate agitatur, cum Galliæ Rex omnem Europam ſui juris facere, ac duris ſub faſcibus premere ſudans, omnibus admotis machinis id agit, ut Patriam noſtram tanquam Germaniæ areem & atrium Libertatis aut per cuniculos aut aperto Marte ſubruat. Quare difficillimis hiſce temporibus incredibilis quædam bonorum civium de te exſpectatio eſt. Nam (li-

ceat

ceat mihi jure non iniquo aureis Patrui mei verbis uti)

Cum ratem Pelago ſua
Fert aura, curſum regere mediocris valet
Puppis Magiſter: artis eximiæ eſt opus
Cum dubio ventos inter incertos hyems
Flagellat undas, vique nimborum vadis
Commotum ab imis ſurgit in montes mare,
Reperire fluctus per procelloſos iter.

Sed mens erecta ac vivida tua virtus omnium exſpectationi non modo ſatisfaciet, verum animi tui nervis intendens, ac ingenii copias explicans, ſpem ac vota omnium longe ſuperabit. Quantum ego auguror conjecturâ, futura cogitatione præcipiens, conſilio, prudentia ac induſtria tua Patriæ plurimis exercitæ malis, ac pia pro publica Salute tributa paſſæ priſtinus tandem redibit vigor ut ſinceram

ab

ab hoſtibus pacem extorqueat. *Quæ per cædes ab ipſo ducit opes animumque ferro.* Multo ſudore ac ſanguine redempta & extremo ſpiritu redimenda animi ſimul ac eorporis libertas, cui ferales inſidiæ ſtructæ ſunt, te patronum ac vindicem nacta velut ex atris nubibus ſol prodiens ſerenior emicabit. Tunc liberum tutumque per Oceanum volitabunt mercibns gravidæ naves, gliſcent commercia, ſuccus & ſanguis hujus Reip: & urbes unde alma fauſtitas jam pridem exulaſſe viſa fuit, *beata pleno copia cornu inaurabit.* Sic Reſp: noſtra portus ſemper & hoſpitium afflictis, ac præſidium oppreſſis nullo intermoritura ſæculo ac velut æternitatis imago quædam ab ipſa ætate colligens ſibi vires ſeneſcendo invaleſcet, ejuſque antiqua fides, intaminata gloria ac per totum terrarum Orbem fama ſe extendet uſque ad eos qui adverſa nobis veſtigia premunt, alia ſydera, & aliud cœlum vident.

* *

Cum

Cum igitur tua vota, consulta, ac facta omnia eo tendant, & salus Patriæ tibi suprema Lex, ac una cura sit, nequid Respub: capiat detrimenti, Statorem hujus Imperii DEUM precor ut te qui cœlibem vitam agens totum se Patriæ impendit longos per annos conservet incolumen, utque de publico optime meritus

Serus in Cœlum redeas, diuque
Lætus interfis populo Batavo.

Et benevolentiæ tuæ aura adspiret

Tui observantissimo

JACOBO GROTIO.

Hagæ-Comitis ipsis Kalendis Martiis
A°. Domini M. D. C. X C.

DE

DE VITIS JURISCONSULTORUM.

LIB. I.

CAP. I.

De Prænomine & ætate Juriſconſulti Papyrii diſceptatio: explicatur Pomponius Juriſconſultus in l. 2. de Orig. Jur. Error Hottomani, & Rutilii: Appius Claudius Decemvir, ejuſque Genealogia: Error Ant. Auguſtini: Hermodorus Epheſius: Appius Claudius Cæcus ejuſque ſcripta: Pomponii, aut exſcriptorum error: Aurelii Victoris lapſus: & Diodori Siculi, itemque Plinii: explicatur Iſidorus, atque Pomponius, qui & emaculatur. Gn. Flavius Libertinus.

DE Juriſconſultis Romanis verba facturi, rem cum Juriſconſulto Pomponio [a] ab ipſis ordiemur principiis, & ab antiquiſſimis initium ſumentes, ad Juniores, ſervato quoad fieri poteſt, temporis ordine, gradum conferemus. Et primo quidem loco apud eum occurrit *Juriſc. Papyrius*, qui leges Regum ſine ordine latas in unum compoſuit volumen, quod ab auctore Jus Civile Papyrianum nominabatur: ſed is Papyrius Publiuſne, an Sextus, an Cajus prænomine dictus fuerit, non ſatis conſtat: poſterius agnoſcit Dionyſius Halicarnaſſæus [b] in prioribus variat ipſe Pomponius: nam quem in principio [c] vocat Sextum Papyrium eundem poſtea [d] Publium appellat; unde ſuſpicari poſſumus, ne inter ipſos quidem antiquos auctores, quos Pomponius eſt ſecutus, de prænomine

[a] *l. 2. de Orig. Juris.*

[b] *lib. 3. antiq. Rom.*
[c] *d. l. 2. §. 2.*
[d] *d. l. 2. §. 35.*

satis conveniſſe. Non minor de tempore quo hic ſcriptor floruit ex ipſius Pomponii verbis oritur dubitatio: narrat quidem ille Papyrium temporibus Superbi è principalibus viris fuiſſe, ſed repugnat nota ibidem addita, qua is Superbus Demarati Corinthii Filius fuiſſe dicitur: quod Tarquinio Priſco, non autem Superbo, convenire, ex Livio, aliiſque Hiſtoricis, plus quam manifeſtum eſt. Sed dirimit hanc litem Dionyſius Halicarnaſſæus in vita Anci Martii, [e] dum eum ait commentarius, quos Numa de ſacris conſcriptos reliquerat in quernis tabulis populo propoſuiſſe, quæ tabulæ poſt exactos Reges rurſum in publicum uſum revocatæ ſint per ſummum Pontificem Cajum Papyrium. Idem poſtea [f] ſtatim poſt regifugium leges Tullii de contractibus, humanas admodum, & populares, quas in univerſum Tarquinius ſuſtulerat, a conſulibus priſtino vigori redditas ſcribit: Itaque ambigendum non eſt, quin Papyrius poſt liberatam à Tarquinii ſervitute Romam, leges à prioribus regibus latas, quatenus novæ reipublicæ formæ non adverſarentur in uno comprehenderit volumine. Neque obſtat, quod Pomponius Tarquinium Superbum Demarati Corinthii filium facit, fuit enim ejus nepos, ſi Livio, vel pronepos, ſi Dionyſio Halicarnaſſæo credimus: notum autem eſt apud Juriſconſultos filiorum appellatione nepotes, atque ulteriores etiam deſcendentes contineri. [g]

Ex antedictis patet Pomponii verba, [h] quibus narrat poſt exactos Reges regias quoque leges exoleviſſe, ita explicanda, ut omnes leges regiæ vim legum perdiderint ſublata regia poteſtate, neque populum amplius obligaverint, niſi quatenus novis legibus, Senatuſconſultis, aut plebeſcitis denuo ſancirentur, aut con-

e *Lib. 3. Antiq. Rom.*

f *Lib. 5. Antiq. Rom.*

g *L. 220. §. 1. vero 3. de verb. ſignif. l. 201. ibid.*

h *d. l. 2. de Orig. juris.*

consuetudine servarentur. Multas enim Juris Regii, & præcipuè in iis capitibus, quibus sacra, & publica tractabantur, apud Populum Romanum superfuisse reliquis palam fit ex dicto Dionysii Halicarnassæi loco, aliisque, [i] ubi post relatas Romuli de maritali, & patria potestate leges, posteriorem à Decemviris in usum revocatam testatur, & argumento est egregius Appiani in Punicis locus, ubi populus se lege Romuli ait factum Comitiorum arbitrum, meminit & legis Regiæ Marcellus Jurisconsultus, dum negat mulierem, quæ prægnans sit, antequam partus ei excidatur, humandam. Librum autem illum quo Papyrius leges Regias incluserit dictum fuisse *Jus Civile Papyrianum* auctor est Pomponius dicto loco, & de hoc jure librum scripsit *Granius Flaccus*[l], sicut infra videbimus. Cæterum fugit viros maximos Bernardinum Rutilium & Franciscum Hottomannum ratio, dum hunc nostrum Papyrium eundem esse putant cum eo, quem Dionys. Halycarn: [m] Virum quietis amantissimum fuisse, & primum Regem sacrificulum creatum dicit: fuit enim huic nostro prænomen Caij juxta Dionys. Halycarn: illum vero alterum ipse Manium appellat; deinde & noster teste eodem gessit post exactos Reges summum Pontificatum, alter vero eodem tempore rex sacrorum electus est, quod sacerdotium Pontifici fuit subjectum; *Ne additus nomini honos aliquid libertati, cujus tunc prima erat cura, officeret* [n].

i *Lib. 2. Antiq. Rom.*

k *L. 2. de Mort. inf.*

l *L. 144. de verb. sign.*

m *Lib. 5. Antiq. Rom.*

n *Liv: dec. 1. lib. 2.*

Appius Claudius Decemvir fuit oriundus è nobilissima Claudiorum familia, quæ multos assertores Dignitatis Patritiorum, & adversus plebem contumaces, teste Suetonio [o], protulit: ejus familiæ origo, ut eam altius repetamus, deducitur ab Atta Clauso

o *In vit. Tiberii c. 2.*

(huic postea Appio Claudio nomen fuit) avo Appii Decemviri, qui Regillis oppido Sabinorum, cum magna clientium manu Romam commigravit, anno post exactos Reges fere sexto[p]. Hic patritiis statim adscriptus, & paucis interjectis annis Consul creatus est, anno urbis 258. cum P. Servilio, & in æde Bellonæ primus posuit clypeos majorum suorum imagines cum honorum titulis continentes. Male igitur Antonius Augustinus contra Livii, Dionysii, & Plinii auctoritatem ejus anni Consulem Marcum Claudium in Fastis nominat, Potius enim est ut Fastos Capitolinos in Appio Decemviro, dum eum Marci nepotem faciunt, quam tres istos scriptores sibi consentientes, mendi arguamus. Is Appius duos (quorum quidem in Historia Romana exstant nomina) reliquit filios, *Appium Claudium*, qui cum Tito Quintio anno urbis 282. Consul fuit, & sequenti anno obiit, [q] & *Cajum Claudium*, qui cum Publio Valerio Publicola anno 293. Consulatum gessit, utriusque frequens apud Livium, & Dionysium occurrit mentio. Ex hoc Appio juniore natus est *Appius Claudius Appii Filius Appii nepos Crassinus Regillianus Decemvir*, qui cum adolescens adhuc parentem defunctum laudare vellet, & à tribunis impediretur, populo permittente, nequicquam contratendentibus tribunis, hunc ei supremum honorem persolvit. Postea cum esset ipse in annum urbis 302. Consul designatus, à Populo Decemvir legum creandarum causa cum novem Collegis est creatus, *sed ita ut regimen totius Magistratus penes ipsum esset, favore plebis.* [r] In eo Magistratu priore anno magna cum moderatione se gessit, ingentique cum exspectatione decem tabularum leges pertulit. Sed cum duæ etiamnum deesse viderentur tabulæ ad absol-

[p] *Sueton. d. lib. Liv. dec. 4. lib. 2. Dionys. Halicarn. lib. 5. ant. Rom.*

[q] *Liv. dec. 1. lib. 4. Dionys. lib. 9. ant Rom.*

[r] *Liv. dec. 1. lib. 3.*

ſolvendum Juris Romani corpus, in annum ſequentem prorogari ſibi fecit imperium; quod cum impotenter adminiſtraſſet, multa crudeliter, & libidinoſe cum Collegis agendo, odium populi Romani in ſe concivit. Tandem re domi militiæque male geſta, cum Appius Virginiam ingenuam Virginem, contra jura à ſe ſcripta per Clientem ſuum in ſervitutem aſſeri curaſſet, eique vindicias ſecundum ſervitutem ſententia ſua dediſſet, tumultu à ſponſo & patre puellæ Virginio (qui eam arrepto cultro in medio foro transfixerat) excitato, per ſucceſſionem plebis coactus fuit ſe magiſtratu abdicare. Tunc Virginius à plebe in domeſtici caſus ſolatium tribunus creatus, Appium privatum accuſavit, judicemque illi tulit, aut ſi ad judicem non iret in vincula duci juſſit, atque ita ille nequicquam ad populum provocans in carcerem conjectus eſt, die à tribuno dicta, quæ antequam adeſſet, Appius in carcere expiravit; utrumne tribunorum juſſu ſtrangulatus, an ſpe omni adempta mortem ſibi conſciverit, incertum eſt: illud conſtat bona ipſius à tribunis fuiſſe publicata, reliquis collegis eadem de cauſa, cum confiſcatione bonorum, in exſilium actis.

Hermodorus Epheſius jure meritoque etiam inter Juriſconſultos recenſetur, cum Pomponius [f] eum Decemviris ferendarum legum auctorem fuiſſe fateatur, poſtea tamen in Juriſconſultorum catalogo nomen ejus utpote advenæ & græci hominis, non expreſſit, quia de Romanis tantum inſtituerat ſermonem. De hoc Plinius agit his verbis [t] *Fuit Hermodori Epheſii in Comitio ſtatu, legum quas Decemviri ſcribebant, interpretis, publicè dicata*, & Strabo [u] ἄξιον Ἐφεσίοις ἡδονὴν ἅπαντα σθαι οἵ τινες Ἑρμόδωρον ἄνδρα ἑαυτῶν ὀνήιστον ἐξέβαλον φάντες, ἡμέων μηδεὶς ὀνήιστος ἔστω, εἰδὲ μὴ ἄλλη τε τις

[f] *d. l. 2. §. 4.*

[t] *Lib. 34. nat. Hiſt. c. 5.*

[u] *Lib. 14.*

μετ' ἄλλων. Δοκεῖ δ' ἔτ@ ὁ ἀνὴρ νόμους τινας Ῥωμαίοις συν γράψαι. Id est: *Digni sint suspendio omnes cujuscunque ætatis Ephesii, qui Hermodorum virum summæ inter ipsos utilitatis exilio multarunt, dicentes: nemo nostrum utilis esto, alioqui alibi & apud alios sit. Videtur etiam is leges quasdam Romanas conscripsisse.* Ex quo loco duo discimus, primo exsilium Hermodori, ejusque causam, & deinde, quod is exsul Romanis operam in condendis legibus navaverit. Licet autem in postremo articulo Straboni, Plinio, & Pomponio non bene conveniat: constat tamen hunc Hermodorum, sive auctor ferendarum legum, sive earum conditor, sive interpres fuerit, locum inter Jurisconsultos sibi jure suo vindicare.

Appius Claudius apud Pomponium sequitur, cui ut ex fastis apparet nomen est *Appius Claudius* C. F. A. N. *Cœcus*: malè enim Pomponius eum Centimanum appellat, corrupto procul dubio Codice, nam Centimanorum cognomen Fabiæ, non Claudiæ gentis proprium fuisse, ex Livio discimus. Hic censuram annis aliquot ante consulatum adeptus anno urbis 441. eam cum Claudio Venoce ita gessit, ut libertinos in Senatum allegerit, [x] quo facto amplissimum ordinem fœde inquinavit. Idem epulandi decantandique justi bicinibus ademit.

x *Liv. dec. 1. lib. 9. in fine. Sueton. in vita Claud. c. 24.*

Profuit tamen egregie hoc nomine, quod aquam Anienem eodem tempore in urbem induxit, & viam Appiam, ab ipsius nomine ita appellatam Brundusium usque lapide stravit: fuit & hoc in ejus Censura memoratu dignum, quod eam nisi exacto quinquennio deponere noluit. [y] Postea anno urbis 446. cum L. Volumnio consulatum gessit, quo in novos hostes Salentinos profecto, ipse *Romæ mansit, ut Urbanus artibus opes auge-*

y *Aur. vict. de Vir. ill.*

augeret. z Anno vero 455. interrex creatus est, sed qua de causa, quando veteres id non prodidere, ignoratur. Illud in Appii interregno memoratu dignum accidit, quod cum deplebe consulem accipere se ille negaret, M. Curius Trib. pleb. patres ante ejus rei auctores fieri coëgerit. Rursus anno 457. cum prioris Consulatus Collega eundem gessit Magistratum, & tum quidem militarem quoque in Provincia Hetruria affectavit gloriam, sed parum prospere in principio rebus gestis, postea imperatoria munia gnaviter exsequendo, tantum effecit, ut Samnites & Hetruscos cum collega castris exueret; Pace tamen quam bello meliorem habitum vel ex hoc Livii loco patet, ubi *Volumnius Callidos solertesque juris atque eloquentiæ consultos, qualis Appius Claudius esset, urbi ac foro præsides habendos, Prætoresque ad reddenda jura creandos* a ait: quæ ratio Pop. Romanum movit ut eum virum Censorium, & Consularem in sequentem annum Prætorem diceret. b Fuit autem Appius patritiarum partium tenacissimus, atque idcirco cum Decio de Sacerdotibus explebe non legendis acerrime disputavit, eadem ferme differens, quæ aliquot ante annis ab Appio Claudio nepote Decemviri contra legem Liciniam de communicando cum plebejis consulatu dicta erant. c Quæ nominum similitudo fecit, ut victor huic nostro per errorem tribuerit, quod ad alterum illum Appium Claudium, forte hujus nostri avum, erat referendum. Cæterum hunc Appium Cæcum eloquentia civilibusque studiis haud dubie præstantem Livius alibi vocat, qui & illud narrat suasisse eum Genti Potitiæ, cujus ad aram maximam Herculis familiare sacerdotium erat, ut servos publicos ministerii delegandi causa solemnia ejus sacri doceret, quo facto & Potitiorum gens interiit

z *Cic. in Br.*

a *d. lib. 10. dec. 1.*

b *Liv. dec. 1. lib. 9.*

c *Liv. dec. 1. lib. 10.*

riit, & Appius luminibus paucos post annos captus fuit. [d] Errat igitur Diodorus, scribens hunc Appium Magistratu abeuntem cæcum se ad evitandam Senatus invidiam simulasse, verè enim cæcum fuisse reliqui omnes Auctores consentiunt, atque id etiam in Pandectas relatum est. [e] Idem Appius septendecim post alterum Consulatum annis & senex, & cæcus lectica in Senatum vectus, pacem cum Pyrrho egregia Oratione dissuasit, cujus initium Ennius sic describit: *Quo vobis mentes rectè quæstare solebant ante hac dementes sese flexere vias?* [f] De eodem Cicero alibi. [g] *Possumus Appium Claudium suspicari disertum, quia Senatum jamjam inclinatum à Pyrrhi pace revocaverit.* Tandem in magna senectute decessit relictis quatuor robustis filiis, & quinque filiabus. [h] Tiberii Neronis, & Appii Pulchri filiorum ejus apud Suetonium. [i] Fit mentio, apud alios quamplurimos auctores P. Claudii Pulchri, qui infeliciter adversus Pœnos ad Drepanum classe pugnavit anno urbis 554. perperam is itaque à Plinio [k] *Appius Claudius Cæci Nepos appellatur.* Filiæ quoque Claudiæ apud scriptores exstat memoria, quæ novo more judicium Majestatis subiit tandemque ab ædilibus XXV. millibus gravis æris damnata est, quod palam optasset, ut Frater suus Pulcher reviviscceret, atque iterum Classem amitteret quo minor turba Romæ foret. [l] Scripsit autem Appius Cæcus nonnullas mortuorum Laudationes, quæ tempore Ciceronis adhuc exstabant, sed queritur ille multa in eis scripta, quæ facta non sint, atque ita Historiam redditam mendosiorem, antiquitatis tamen nomine, quia nullius ante ipsum scripta proferri jam tum poterant, commendat. [m] Est igitur hic Appius antiquissimus Reip. Rom. scriptor, quod ipsum Isidorus voluit indica-

d *Val. Max. lib.* 1. *c.* 1. *Diod. Sic.*

e *L.* 1. §. 4. *de Postul.*

f *Cicer. de senectute.*

g *In Bruto. Val. Max. lib.* 8. *c.* 13.

h *Cicer. de senectute.*

i *In vita Tiberii. c.* 3.

k *Lib.* 15. *nat. Hist. c.* 1.

l *Agell. lib.* 10. *c.* 6. *Suet. in vita Tib.*

m *Cicero in Bruto.*

dicare [n] dum solutam orationem hunc primum exercuisse ait, multos enim ante eum Romæ dicendo valuisse ex eodem Cicerone constat, sed eorum Orationes aut nunquam in litteras missas, aut ætatis injuria absumptas fuisse credibile est. Reliquit & Carmina quædam Pythagoræis non absimilia, & a Panæto olim laudata. [o] Forte quia morales quasdam complectebantur sententias, quod verosimile facit locus Festi, ubi sententiæ Appii laudantur. [p] Exstat certe & alibi [q] nobile ejus & oraculi instar effatum, quo *negotium Populo Romano* (ita lego: non ut antea populi Romani) *melius quam otium committi* ajebat, Quod ad Juridica ejus scripta attinet, actiones ad formas redegit, sed eas Gn. Flavius primum edidit Cicero [r] *Posteaquam est editum expositis à Gn. Flavio primum actionibus, nulli fuerunt, qui illa artificiose digesta generatim componerent*, scripsit & de usurpationibus librum, quem ante sua tempora periisse refert Pomponius. [f] De alio quodam Appio, qui ab hoc processerit, & R. litteram Romæ invenerit, quid idem Pomponius sibi velit incertum est; hoc constat eos, qui postea Papyrii dicti sint, antea Papisiorum nomen habuisse, nam *L. Papyrius Crassus, qui primus Papisius est vocari desitus, Dictator, cum L. Papirio Cursore Magistro equitum factus est, annis post Romam conditam* 415. [t] Neque minus certum est eos qui prius *Valesii* dicti sunt postea *Valerios* nominatos. [u] Unde forte dicendum hujus Appii Filium vel nepotem, exemplo *Papyriorum*, qui jam ante nomen (ita ut dixi) mutaverant, R. literam loco S. in *Furiis & Valeriis* recipiendam suasisse, ac propter εὐφωνίαν persuasisse: quam sententiam si sequi volumus, legendum apud Pompon: pro *Idem Appius*, *Item Appius*, ut & ante nos monuit Ant. August. ita

n *Lib. 1. Etymol. c. 37.*

o *Cic. Tusc. qui. quæst. lib. 4.*

p *Fest. in Voce stupruum.*

q *Valer. Max. lib. 7. c. 2.*

r *Lib. 1. de Oratore.*

f *d. l. 2. de Orig. jur.*

t *Cic. lib. 9. Epist. fam. Epist. 21. ad Patum.*

u *Quintil. lib. 1. c. 5.*

ex hoc loco quem ipse Ant: August. pro deplorato habet, aliquem eliciemus sensum, qui alias nullus est.

Gnæus Flavius Annii Filius, malè Livius *C. Flavius Gn. Filius* aliquem quoque inter Jurisconsultos locum meretur, quia *Civile jus repositum in Penetralibus Pontificum evulgavit : fastosque circa forum in albo propo-*
x *Liv. dec. 1. lib. 9.* *suit, ut quando lege agi. posset sciretur.* x Quæ res tantam ipsi apud populum conciliavit gratiam, ut ædilis curulis, & tribunus crearetur, *quia quodam tempore occultata fuerat ista tabula, ut dies agendi peterentur a*
y *Cic. lib. 6. Epist. ad Attic.* *paucis :* y Sic ille *ab ipsis cautis Jurisconsultis eorum sapientiam compilavit*, quos ipsi idcirco iratos fuisse narrat Cicero. z Totam hanc rem Plinius a refert his
z *Orat. pro Muræn. lib.* verbis : *Cn Flavius Annii Filius publicatis diebus fastis*
33. *nat. Hist.* *tantam gratiam plebis adeptus est, alioquin libertino patre genitus, & ipse Appii Cæci scriba, cujus hortatu exceperat eos dies, consultando assidue sagaci ingenio promulgaveratque, ut ædilis curulis crearetur. Additum Flavio ut simul tribunus plebis esset, quo facto tanta Senatus indignatione exarsit, ut annulos ab eo abjectos fuisse in antiquissimis reperiatur annalibus* : Idem ferè nar-
b *Lib. 9. c. 3.* rat Valer: Max. b Nisi quod Flavium Prætorem creatum asseruit, addit Livius eum contumacia adversus contemnentes humilitatem suam certasse, adeo ut etiam in magno consessu nobilium, qui ipsi assurgere nolebant, sellam curulem jusserit asserri, ut omnes eum dignitatis suæ prærogativa eminentem etiam inviti vi-
c *Agell. lib. 6. c. 9.* derent, idemque confirmat è Pisone Agellius. c

CAP. II.

P. Sempronius Sophus: Rutilii error & Pomponii: repudiatio uxoris ob levem causam: Tib: Coruncanius: P. Crassus Pontifex Jurisconsultus: Q. Fabius ad Carthaginienses legatus: error in eo Rutilii: Livii locus explicatus, & de Sempronio Tuditano quædam: atque iterum de Pontifice Crasso: L. Cincius Alimentus, ejusque locus apud Festum illustratus, & emendatus.

P. *Sempronius. P. F. C. N. Longus Sophus* genere plebejus cum Tribunus plebis esset contra Appium Claudium finiendæ intra legitimum tempus censuræ actionem acriter suscepit, vicit tamen Appii pervicacia, ut ille solus per quinquennium censuram gereret. [a] Paucis post annis nobis videlicet 449. Consul creatus cum P. Sulpicio Saverione cum Samnitibus, & Æquis bellum feliciter gessit, de his etiam triumphasse è fastis probari potest, quanquam id Livius disertè non expressit: Anno vero 452. etiam Magister equitum sub M. Valerio fuisse videtur, si Sigonio, id conjecturis quibusdam firmanti, fidem adhibemus. [b] Certè anno sequenti primus è plebe Pontifex factus, atque inde anno 554. Censor cum eo, quem in Consulatu Collegam habuerat Saverione tribus Arniensem & Terentinam adjecit. Neque post tantos honores Præturam aspernatus est, nam & eum Magistratum dubiis ob terrorem belli Gallici reipubl: temporibus, gessit, [c] ut per omnes dignitatum gradus iviſſe videatur. Hic tantus vir Juris quoque scientia claruit, quod vel sola illa cum Appio Cæco de censura disceptatio ex ipsis Juris principiis deducta arguit, ut immerito in dubium revocet hoc loco Rutilius an eum Pomponius perperam inter Jurisconsultos enumeraverit: in eo tamen

a *Liv. dec. 1. lib. 9.*

b *In Fastor. Comment. ad annum 42.*

c *Liv. dec. 1. lib. 10.*

Pomponius errare videtur, quod neminem post hunc Sempronium Sophi nomen gessisse scribit, reperitur enim in Fastis anno 501. P. Sempronius P. F. P. N. *Sophus* Censor, qui hujus nostri proculdubio fuit filius, unde id cognomen videtur hæreditarium fuisse. Fuerunt & ante hunc Sempronium septem Græciæ sapientes: Sed ii consensu totius ferè orbis, non autem solius Populi Romani hoc nomen σοφῶν meruerunt, neque Romæ, sed in Græcia vixerunt. Quod quidam de Acilio, aliisque, quos Populus Romanus sapientes nominavit, objiciunt, id admodum leve est, nunquam enim aut Acilius Sophus, aut Sempronius Sapiens dictus fuit. Certe hic omittendum non est quod à Valerio Maximo narratur. [d] Sempronium hunc conjugem suasore nemine repudiasse, quod se absente ludos spectasse ausa fuerat.

d *Val. lib. 6. c. 3.*

Tib. Coruncanius Ti. F. Ti. N. Consul cum P. Valerio Lævino creatus est sub initia belli Tarentini anno 473. atque in eo consulatu de Vulsinienſibus quoque triumphavit, ut Fasti Capitolini testantur, Postea circa annum 500. primus è plebe Pontifex Maximus creatus est. [e] Obiisse videtur circa annum 509. nam tunc successorem in Pontificatu substitutum legimus L. Cæcilium Metellum; vixit itaque hic noster Coruncanius *summo* in honore multis post consulatum annis, fuitque cum M. Curio arctissima familiaritate conjunctus, unde Cicero. [f] *Ejus usque ad extremum spiritum provectam fuisse prudentiam* narrat. Valuit autem plurimum ingenio, idque ex Pontificum Commentariis haud dubiis deprehendebatur indiciis. [g] Ut mirum non sit ad eum de omnibus & divinis & humanis rebus referri solitum, quod Crassus apud Ciceronem his verbis exprimit. [h] Hæc fuit P. Crassi illius veteris, *hæc Tib. Co-*

e *Liv. epit. dec. 2 lib. 8.*

f *In lib. de Senectute & de Amicitia.*

g *Cic. in Bruto.*

h *Lib. 3. de Oratore.*

Coruncanii, hæc proavi generi mei Scipionis prudentissimi hominis sapientia, qui omnes Pontifices Maximi fuerunt; ut ad eos de omnibus divinis ac humanis rebus referretur, iidemque & in Senatu, & apud populum, & in causis amicorum, & domi, & militiæ Consilium suum fidemque præstabant. Ubi obiter notandum P. Crassum Ciceroni memoratum, fuisse Pontificem Maximum circa annum 540. hic Dives cognominatus est, & ex loco Ciceronis præcitato forte aliquem quoque inter Jurisconsultos locum meretur, qua de re latius postea; Quod vero de Scipione ait, de Nasica Serapione, cujus nos infra mentionem faciemus, accipiendum est: Cæterum Coruncanius noster juris cognitionem, quam alii in latenti habuerant, Paulo amplius divulgavit, eamque docere & profiteri cæpit. [i] Meminit & Responsorum ad jus pertinentium Cicero. [k] Videtur autem Coruncanius noster filium habuisse, qui cum legatus ad Teucam Illyriorum Reginam missus, ferocem mulierem Paulo liberius allocutus esset, ab ea contra jus gentium cæsus est, cui Populus Romanus Statuam tripedaneam in foro statuit, hoc enim tribui injuria cæsis solebat. [l] Aliique utrumque legatum Coruncanum nomine, utrumque etiam occisum fuisse narrant.

i *L. 2. de Orig. Jur. §. 35.*

k *Lib. 2. de legib.*

l *Polyb. lib. 2. Plin. nat. Hist. lib. 34. c. 6.*

Q. Mutius ut vult Pomponius *vel Q. Fabius* ut alii auctores tradunt, legatus ad Carthaginienses à Populo Romano missus duabus tesseris propositis altera pacis, altera belli, utramque sustulit, addito ipsos utram mallent petere debere, alii narrant Fabium Imperatorem Romanum misisse ad Carthaginienses hastam & caduceum, seu duas tesseras his simulachris insignitas, ipsos vero respondisse nolle se eligere, sed quod eligeret pro electo habituros. [n] Alii Paulo ali-

m *L. 2. de Orig. Jur. §. 37.*

n *Agel. lib. 10. c. 27.*

ter hanc referunt historiam, majorem nimirum natu è legatis sinum è toga factum ostendisse, dicentem se bellum pacemque portare, utrum placeret sumerent, quibus reclamantibus: daret utrum vellet, illum effuso togæ gremio, bellum se effundere dixisse, Pœnis accipere id se alacri vultu respondentibus. ° Et si autem in historiæ hujus circumstantiis variant annales. Q. tamen Fabium plerique pro ejus Legationis, quæ bellum Punicum secundum præcessit, capite agnoscunt, & optionem belli aut pacis Carthaginiensibus tulisse ferunt. Malè autem hunc nostrum Q. Fabium Pamphilum appellat Rutilius; fuit certe in eadem legatione Quintus quoque Pamphilus, sed ei Bæbio nomen fuit, qui cum nostro hoc Q. Fabio confundi sine summa incuria non potest, forte hic noster est *Q. Fabius Q. F. Q. N. Maximus Verrucosus*, qui anno 520 Consul fuisse & de liguribus triumphasse in Fastis traditur, & tribus post annis Censor rursusque interjecto anno Consul anno vero 532. etiam Dictator creatus fuit: & postea aliquoties eisdem Magistratibus functus est, certe majores natu in legationem istam missos auctor est Livius, neque abludit ratio, ut is qui paucis ante annis maximos gessisset honores, legationem in qua de summa reip. agebatur, obiret: quod si verum putamus, dicendum est hunc & re & nomine Maximum non levem in profligando, & quod indixerat, bello navasse Operam, sed ejus præcipuè consiliis rempublicam stetisse, unde illud Poëtæ.

Unus qui nobis cunctando restituit rem

Sed de hoc plura apud Plutarchum licet videre.

P. Sempronius C. F. C. N. Tuditanus à Pomponio Jurisconsultis non accensetur, Rutilius tamen eum ut Juris Pontificii peritissimum prætereundum minime censet,

° *Polyb. lib. 7. Liv. dec. 30. lib. 1.*

censet, secutus auctoritatem Livii, quem ita de hoc viro putat loqui, p *Bello quoque bonus habitus, ad cætera quibus nemo ea tempestate civis habebatur instructior, congestis omnibus humanis à natura fortunaque bonis: nobilis idem ac dives erat, forma Viribusque corporis excellebat, facundissimus habebatur, seu causa oranda, seu in senatu, & ad populum suadendi ac dissuadendi locus esset, Juris Pontificii peritissimus: super hæc bellicæ quoque laudis consulatum compotem fecerat.* Verum ego, pace ejus viri dixerim, illic loci de Sempronio Tuditano agi non putem, sed de P. Licinio Crasso Pontifice Maximo: & argumento sunt verba præcedentia. *P. Sempronius (ei quoque enim proconsuli imperium in annum prorogabatur,) P. Licinio succederet, is Romam reverteretur*, quibus verbis immediate subnectitur illud elogium; Unde etsi suspicari possumus locum istum Livii in mendo cubare, potius tamen ad Crassum, quam ad Tuditanum sequentia referri debere, res ipsa clamat, quia hic plebejus, ille nobilis fuit patritius, de hujus divitiis verbum in Historia nullum, ille ex iis cognomen sibi invenit: Hic rebus bellicis admodum clarus fuit, alter eam gloriam delibavit tantum, quia in Brutiis vix quicquam propter pestilentiam gessit, postea tamen proconsul cum Annibale conflixit: Denique & Crassum oratoribus annumerat Cicero q dum ait: *Orator fuit P. Crassus, qui cum Africano Consul fuit*, ubi loci *P. Licinium Q. F. P. N. Crassum Divitem*, qui cum Africano anno 548. consulatum gessit, & quia Pontifex Maximus erat in Italia manere coactus fuit, intelligi debere Fasti Capitolini & Livius abunde testantur, Potius itaque hunc Crassum in Jurisconsultorum catalogum nos primi recipiemus, accedente Ciceronis auctoritate in loco supra cum de Coruncanio agere-

p Dec. 3. lib. 10. in pr.

q In Bruto.

ageremus citato, & in *Catone Majore*, ubi ita loquitur. *Quid de P. Licinii Crassi, & Pontificii, & Civilis juris studio loquar.* Ad eundem Crassum pertinet illud antiquæ severitatis exemplum, quod Virgo Vestalis, quia quadam nocte parum diligens æterni ignis custos fuisset, digna visa est, quæ flagro admoveretur. [r] Idem C. Valerium Flaccum luxu perditum ad meliorem frugem perduxit. Flaminem eum capiendo, quo facilius à vitiis recederet, ad curam sacrorum, & ceremoniarum conversо animo. Magnis quoque honoribus functus est, nam Magister equitum dictus fuit sub Dictatore Q. Fulvio anno ab urbe Condita 543. & eodem anno censor factus est: antequam aut Consul, aut prætor fuisset; facto ex ædilitate ad Censuram gradu. [s] Postea tamen etiam Prætor Peregrinus in urbe jus dixit, tandemque magna in senectute obiit anno 570. [t]

L. Cincius Alimentus hactenus à nemine inter Jurisconsultos relatus est, nos vero ejus nomen hic recipere minime veremur, quia librum de Officio Jurisconsulti ab ipso scriptum deprehendimus, ubi & voces aliquas Jurisconsultis usitatas explicavit, quod profecto nunquam feciſſet, nisi Juris scientia fuisset instructissimus. Testem in eam rem locupletem adduco hunc festi locum. [u] Quem ego sic legendum puto: *Nuncupata pecunia est, ut ait Cincius in libro secundo de Officio Jurisconsulti nominata certa, nominibus propriis pronunciata: cum nexum faciet, mancipiumque uti lingua nuncupassit ita jus esto.* Id est (ita lego non ut ante) *uti nominarit locutusve erit, ita jus esto.* Hoc enim voluit Cincius nuncupare nihil aliud esse quam pronuntiare, cui Santra libro de verborum antiquitate secundo contradixit, existimans, eo verbo potius promissionem seu testificationem intelligi. Cæterum vixit

L. Cin-

[r] *Valer. Max. lib. 1. c. 1.*

[s] *Valer. Max. lib. 6. c. 9.*

[t] *Liv. dec. 3. lib. 7. & dec. 4. lib. 9.*

[u] *In verbo Senates & in verbo nuncupata.*

L. Cincius Alimentus tempore belli Punici secundi, cum ipse ab Annibale captum se fuisse scriptum reliquerit. [x] Gessit & Præturam anno 543. quo tempore ei Sicilia provincia cum duabus ferè legionibus Cannensium militum obvenit; quin & in sequentem annum prorogatum ipsi Imperium. [y] Idem Locios oppugnavit summa vi, operibus tormentorumque omni genere ex Sicilia advecto, sed ea tandem obsidio adventu Annibalis soluta est. Postea etiam cum Crispinus Consul mitti à populo ad se aliquot viros prudentes petiisset, cum quibus quæ vellet de republ: loqueretur, Lucius Cincius cum sociis duobus eam obiit legationem, unde civitatis de hoc viro judicium non levibus indiciis colligitur. Scripsit autem Cincius Historiam Romanam. [z] Itemque de Comitiis librum, alium etiam de Consulum potestate, & Mystagogicon duos, varios præterea de verbis priscis, quos omnes citat Festus diversis in locis. Plura de hoc Cincio videri possunt apud diligentissimum Historiæ Romanæ illustratorem Gerardum Vossium in suo de historicis Græcis tractatu: lib. 1, cap. 4.

x *Liv. dec. 3. lib. 1.*

y *Liv. dec. 3. lib. 6. 7.*

z *Dionys. Halic. lib. 1.*

CAP III.

P. Ælius Pætus: Sextus Ælius Catus: illustratus Agellii locus & emendatus Ulpianus in l. 3. de penu leg: Rutilii lapsus: Atilius Jurisconsultus: P. Scipio Nasica, Vir optimus à senatu judicatus: ejus Filius Nasica corculum dictus: horologium quando Romæ factum: erratum epitomæ Livianæ: P. Nasica Serapio inter Jurisconsultos numeratur: Vellejus explicatur, & emendatur: primus Pontifex Maximus: quando extra Italiam objerit: Plinii lapsus: P. Nasica Serapionis Filius ἀνιερησία Val. Maximi.

P. *Ælius Q. F. P. N. Pætus* moderatus, & prudens vir, cujus pater Quintus cum Pontifex esset prælio Cannensi ceciderat, maximam quoque Juris scientiam habuit, & propter egregias animi dotes, quanquam haud amplis esset facultatibus, ad summas dignitates fuit, admissus, ut facile pateat tunc temporis nullum honestæ pauperatis fuisse opprobrium: sexdecim enim Ælios eodem tempore fuisse quibus una erat domuncula, & unus in agro Vejente fundus memoriæ proditum est. [a] Is Pætus cum anno urbis 549. ædilitatem gessisset prætor in annum sequentem renuntiatus jurisdictionem urbanam sorte sibi oblatam administravit, quo tempore cum à Lælio victoria Scipionis de Syphace esset nuntiata supplicationem Pop. Rom. in quatriduum indixit: postea cum etiam lætus de discessu ex Italia Annibalis afferretur nuntius, retulit idem de supplicatione, quæ in quinque dies circa omnia pulvinaria decreta est. Anno 552. P. Ælius à Dictatore Servilio Gemino magister equitum dictus, ac tandem cum Cn: Cornelio Lentulo in eum annum Consul factus est, quem feliciſſimum reddidit Scipionis

a *Val. Max. lib. 4. c. 4.*

nis de Annibale, & Pœnis triumphus. [b] Cum autem P Ælio obtigisset Provincia Italia, atque ille de Bojorum in Galliam excursionibus certus factus esset, subitarias illuc legiones duxit, atque ita finibus eorum pervastatis, & fœdere cum liguribus Jugannis icto, Romam rediit: eodem anno etiam Decemvir dividundo inter milites Africani agro, & biennio post cum fratre Sexto Triumvir in causa Namiensium creatus fuit: eodem anno in censura, multis eam claris viris petentibus cum Africano prælatus, Magistratum enim magna cum concordia, & sine ullius Senatoris nota gessit. [c] Etiam Legationibus functus est, fuit enim ex decem Legatorum numero, quorum & sententia Quintius res Græciæ dispositi, ac deinde ad Antiochum Regem Lysimachiam missus est: Postea vero etiam (ut videtur) Sesymbriam, tandem in augurali sacerdotio circa annum 579. grassante ubique pestilentia absumtus est. [d]

[b] *Liv. dec. 3 lib. 9. 10.*

[c] *Liv. dec. 4. lib. 2.*

[d] *Liv. dec. 5. lib. 1.*

Sextus Ælius Q. F. P. N. Pætus Catus. Eosdem ferè quos frater Publius honores gessit: nam ædilis curulis (anno 553.) frumenti vim magnam populo divisit, & Ludos Romanos fecit, anno vero 555. cum Tito Quintio Flaminino Consul factus, Italiam habuit provinciam, neque quicqam memorabilis rei gessit. [e] Cum præter exspectationem quietam nactus esset Galliam, post quatuor annos Censor cum L. Cornelio Cethego decrevit ut loca Senatoria à populo secernerentur: nam antea in promiscuo spectabant ludos, quo facto magnam sibi peperit apud eum ordinem gratiam, apud populum indignationem. [f] Quæ de Pæto Cato à Plinio dicuntur huc non pertinere infra in Tuberone demonstrabimus. Hic autem noster ut Juris civilis peritissimus variis passim ornatur elogiis: *In nostra civitate amplissimus quisque, & Clarissimus vir Juri se dedit, ut*

[e] *Liv. dec. 4. lib. 2.*

[f] *Liv. dec. 4. lib. 4.*

ille qui propter hanc Juris Civilis scientiam sic appellatus à summo poëta est, egregie cordatus homo Catus Ælius Sextus. Et postea, *si quereretur quisnam Jurisconsultus verè nominaretur, eum dicerem qui legum, & consuetudinis ejus qua privati in civitate uterentur, & ad respondendum, & ad agendum, & ad cavendum peritus esset, & ex eo genere S. Ælium. M. Manilium. P. Mutium nominarem.* [h] Et alibi. *S. Ælius Juris quidem civilis omnium peritissimus, sed etiam ad dicendum paratus.* Scripsit autem teste Pomponio jus Ælianum, in quo actiones proposuit, & librum tripartita inscriptum, quoniam lege 12. tabularum proposita adjungebatur interpretatio, deinde subtexebatur legis actio; unde recte: *Juris antiqui interpres, & conditor* à multis appellatur. [i] Fuit hic Jurisconsultus in ea sententia Penus vocem latissime patere, neque tantum quæ esui & potui forent, sed totius quoque, & cereos hoc nomine contineri, ut auctor est Agellius. [k] Dum ait: *Servium Sulpitium in reprehensis Scævolæ capitibus scribere, Sexto Ælio* (ita enim is locus legendus est) id ita placuisse: unde obiter constat in Jurisconsulti Ulpiani verbis [l] mendum esse, & pro eo quod jam legimus: *Sextus* autem *Cæcilius etiam thus, & cereos in domesticum usum paratos contineri legato scribit*: reponendum: *Sextus autem Ælius:* sunt enim germana illis quæ ex Agellio adduximus. Scripsit & commentarios aliquot, & citatur ejus ut perveteris scriptoris auctoritas à Celso Jurisconsulto libro Digestorum suorum octavo. [m] Quod hic nobis Bernardinus Rutilius Ælium Pætum filium juris cognitione clarum obtrudere conatur frustra est, neque enim ejus ullam apud Pomponium, cujus ille auctoritate utitur, invenio mentionem.

h *Cic. de Oratore 1. & 3. & in Bruto.*

i *Cic. 2. de legib. l. 1. C. de Comm. serv.*

k *Lib. 4. noct. Att. c. 1.*

l *L. 3. §. 9. de penu leg.*

m *L. 38. §. 1. de act. emti.*

P. At-

P. Attilius ut eum appellat Pomp. vel ut alii *L. Acilius* Æliorum fratrum temporibus juris scientia claruit, quos honores gesserit non adscribam, cum nec in prænomine satis auctoribus conveniat, nec in nomine. Certe fuit Romæ familia Attilorum, ex qua oriundus fuit Attilius ille Regulus, singulare illud Romanæ fidei & Punicæ crudelitatis exemplum: fuit & Aciliorum, ex qua M. Acilius Glabrio natus est, unde in Historia Romana M. Attilium cum M. Acilio ad Ptolomæum regem legatos missos invenio. [n] Quicquid sit illud constat hunc virum propter juris peritiam sapientis titulo donatum à populo Romano fuisse: *scimus L. Acilium apud patres nostros appellatum esse sapientem, quia prudens esse in Jure Civili putabatur*, ut alibi *veteres interpretes. Sext. Ælius Lucius Acilius non satis se intelligere dixerunt*, quid esset *lessum funeris ergo habere.*

[n] *Liv. dec. 3. lib. 7.*

P. Cornelius Cn. F. L. N. Scipio Nasica: malè Pandectæ Florentinæ C. Scipio Nasica: à Pomponio inter Jurisconsultos numeratur, eique publicè domus in sacra via data dicitur, quo facilius consuli posset. Fuit autem patruelis Africani, natus patre Cneo Scipione, qui cum Africani patre Publio Punicis Insidiis circumventus in Hispania ceciderat: hic vir optimus circa annum 549. à Senatu judicatus, adolescens nondum quæstorius matrem Deum Pessinuntem accersitam hospitio excepit. [o] Decennio post, anno videlicet 559. Prætor factus in Hispania multa secunda prælia fecit, quo terrore non minus quinquaginta oppida ad eum defecerunt, sequenti anno Proprætor Lusitanorum duodecim millia cecîdit [p] quibus rebus gestis cum candidatus, Comitia habente Africano, Consulatum peteret, atque insigne illud Senatus præjudicium pro se haberet,

[o] *Liv. dec. 3. lib. 9. Val. Max. lib. 8. c. 15.*

[p] *Liv. dec. 4. lib. 5.*

quo vir è civitate optimus judicatus erat, nihilominus repulsam tulit. In sequentem tamen annum 562. voti sui compos factus est, ut dilatum tali viro, non negatum honorem appareret. Itaque cum exercitu in Bojos profectus magna strage edita hostium quoque Castris potius est, illi post pugnam extemplo se dediderunt: quam ob causam supplicatio à Senatu decreta, victimæque majores cæsæ, tandem etiam nequicquam obnitente Sempronio Blæso, tribuno plebis, de Boys specioſissimum egit triumphum. [q] Hæc ad eum proprie pertinent, quem inter Jurisconsultos rettulit Pomponius, nisi forte Pomponium errore nominum lapsum potius hujus prioris Nasicæ filium, qui Corculum dictus est, designare voluisse dicimus, quod Antonio Augustino placuit, & sane videtur id innuere auctor de viris Illustribus, [r] dum ait: *Eloquentia primus, Juris scientia consultissimus, ingenio sapientissimus, unde vulgo Corculum dictus:* quod si verum est, male & ipse, & Pomponius huic Jurisconsulto tribuunt hospitium matris Deum, quod patris proprium est: nos nequid hic desideretur etiam filii vitam subnectemus.

P. Cornelius P. F. Cn. N. Nasica ut in fastis appellatur bis Consul, & Censor fuit, & eloquentia claruit, nam *P. Scipionem Nasicam, qui est Corculum appellatus, qui item bis Consul & Censor fuit, habitum eloquentem, illius qui sacra acceperat* (ita cum Ant: Augustino lego) *Filium* memoriæ proditum est. [s] Priorem quidem Consulatum iniit anno 591. cum C. Martio Figulo, sed cum adversus auspicia Consulem se à Graccho renuntiatum accepisset, licet jam in Corsicam abnavigasset, Romam reversus, Magistratu se abdicavit. [t] Tribus deinde annis interjectis censuram cum M. Popil. Lænate gessit, & statuas omnes, quas privati sibi per Ambitio-

q *Liv. dec. 4. lib. 6.*

r *In vita Nasicæ.*

s *Cic. in Bruto.*

t *Fast. Capitol. Cic. 2. de nat. Deor. Val. Max. lib. 1. c. 1.*

bitionem poni curaverant, præter eas, quæ populi aut Senatus sententia statutæ essent sustulit. [u] Eodem tempore primus divisit horas æque noctium, & dierum idque horologium sub tecto dicavit. [x] Itaque immerito ambigit Rutilius ad quem Nasicam hæc historia referenda sit; fecit etiam porticus in Capitolio ab armis ad voluptates aliquatenus jam conversa civitate. [y] Theatrum vero exstructum dirui fecit, ut populus stans spectare cogeretur. Epit. Liv. dec. 5. lib. 6. Anno vero 598. Consul secundum creatus cum M. Claudio Marcello res in Dalmatia feliciter gessit, Delminium urbem Dalmatarum expugnavit, gentem domuit, triumphum an duxerit incertum faciunt Fasti Capitolini, hoc loco mutili, certe meruisse constat. [z] Idem cum M. Catone de inferendo Carthaginiensibus bello, & deinde de evertenda Carthagine diversis certavit sententiis, suadens ipse conservationem æmulæ civitatis videbat quippe vir prudentissimus Romam nimio otio luxuriaturam nisi aliqua aut formidinis, aut æmulationis relinqueretur materia: quæ omnia contra fastorum fidem ab epitomatore Livii patri Nasicæ, qui vir optimus à Senatu judicatus fuit, turbato temporum ordine, tribuuntur. Huic Nasicæ Corculo filius fuit.

P. Cornelius P. F. P. N. Nasica Serapio & ipse scientia juris illustris, ut ex loco Ciceronis supra in Coruncanio citato discimus, qui ita dictus à similitudine, quæ ipsi cum quodam mercatore suario ejus nominis, aut ut alii tradunt victimario, intercedebat. [a] Is anno 615. cum D. Bruto Consul creatus militem, qui exercitum deseruerat virgis cæsum publicè venundedit, postea vero à Tribunis plebis, qui hoc impetrare non poterant, ut sibi denos, quos vellent milites eximerent,

u *Plin. lib. 34. c. 6.*

Auctor de viris Ill. in vita Nasicæ.

x *Plin. lib. 7. c. 60.*

y *Vell. Paterc. lib. 2.*

z *Auctor de Vir. Ill. Epitom. Liv. dec. 5. lib. 7.*

a *Val. Max. lib. 4. c. 14. Plin. lib. 21. c. 3.*

rent, cum Collega in carcerem conjectus fuit. [b] Quod cum à C. Curatio tribuno plebis factum sit, eodem etiam referri debet, quod Nasica de frumento emendo differens obstrepenti plebi respondit: *tacete quæso Quirites, plus enim ego quam vos quid reipublicæ expediat intelligo.* [c] Hic ille est, qui Tiberium Gracchum in Capitolio privatus cum esset interemit, atque eam ob rem Pontifex Maximus absens factus est, quæ omnia ex hoc loco discimus: [d] *Tum Scipio Nasica ejus qui Optimus vir à Senatu judicatus erat, nepos, ejus qui Censor porticus in Capitolio fecerat, filius, pronepos autem Cn. Scipionis celeberrimi viri, P. Africani patruelis privatusque & togatus cum esset, consobrinus Ti. Gracchi Patriam cognationi præferens, & quicquid publice salutare non esset privatim alienum existimans, ob eas virtutes primus omnium absens Pont. Max factus est.* Nisi ita emendare malumus (qui P. Africani patruus fuit) hæc verba ex scioli alicujus glossemate in textum irrepserunt. Legendum autem in illo loco non ut antea: *P. Africani Patruus*: nullo planè sensu, sed ut nos scripsimus: *P. Africani Patruelis*, omnes enim qui ex patruo per masculinam lineam descendunt à Vell. patrueles vocantur, quorum vero agnationem fœmina interrumpit, ii consobrini ab eodem appellantur; ita enim hic Scipio Tib. Gracchi consobrinus dicitur contra Jurisconsultorum nostrorum regulas: cum cum octavo gradu cognationis contigerit. De eodem Serapione Cicero. [e] *P. Ille Scipio quo duce privato Tib. Gracchus occisus est, cum omnibus rebus vehemens, tum acris in dicendo fuit*, & postea stemma Scipionis, qui suo tempore vivebat, commemorans, proavum ejus nominat *P. Scipionem, qui ex dominatu Tiberii Gracchi privatus in libertatem remp. vindicavit, addens illustre abavi*

[b] *Liv. epit. dec. 6. lib. 5. Cic. de leg 3.*

[c] *Val. Max. lib. 5. c. 7.*

[d] *Vell. paterc. lib. 2.*

[e] *In Brut.*

abavi fuisse nomen P. Scipionis qui bis Consul fuit qui est Corculum dictus, Procedente deinde tempore cum Pop. Rom. Gracchi mortem ægre ferret Nasica ut invidiæ subtraheretur, specie legationis in Asiam secessit, atque ibi primus Pont. Max. extra Italiam supremum obiit diem. [f] Confundit itaque avum cum nepote Plinius. [g] Dum ait: *Vir optimus semel à condito ævo judicatus est Scipio Nasica à Jurato Senatu: idem in toga candida bis repulsa notatus à populo* (hæc avi sunt) *in summa ei in patria mori non licuit, non hercule magis quam extra vincula illi sapientissimo ab Apolline judicato Socrati* (hæc nepotis sunt) quod autem de duplici repulsa dicit in eo ipsi cum aliis auctoribus non convenit; Unde videri forte potest eam repulsam, quam avus Nasica tulit in petendo consulatu cum repulsa quam Nasica Junior Serapionis filius in petenda ædilitate passus est uni eidemque attribuere; habuit enim Serapio Nasica filium, cui nomen fuit *P. Cornelius P. F. P. N. Scipio Nasica qui anno urbis* 642. *cum bellum. Jugurthæ indiceretur cum L. Bestia Consulatum gessit*, in quo Magistratu mortuus est, *P. Scipio qui est in consulatu mortuus, non multum ille quidem nec sæpe dicebat, sed & latine loquendo cuivis erat par, & omnes sale facetiisque superabat. Ejus collega L. Bestia bonis initiis ortus tribunatus.* [h] &c. Hic ipse Scipio, qui postea Consulatum gessit ædilitiis Comitiis fœdam tulit repulsam, quia aliquem è plebe Romana scommate perstrinxerat qua de re sic Cicero. [i] *Avus tuus Lateranensis P. Nasicæ tibi ædilitiam prædicaret repulsam, quo cive neminem ego statuo in hac urbe fortiorem*, quæ verba quamvis videantur ad Serapionem recte posse accommodari, malo tamen ea de filio intelligere, tum quia illam repulsam ædilitatis Cicero cum Marii repulsa conjungit, quem

f *Plutarch. in Graccho.*

g *Lib. 7. c. 34.*

h *Cic. in Bruto.*

i *Orat. pro Planc.*

ejus tempore vixisse constat, tum quia Serapio propter oris cum plebeio homine similitudinem plebi Romanæ admodum gratus fuit, ut vix in eum talis repulsa cecidisse videatur, postremo etiam quia filius Serapionis, homo facetus, intempestive salis jaciendo, offensam sibi conciliasse facile credi potest. Certe Valerius Maximus in eam sententiam scribere videtur, quanquam per summam ἀνιστορησίαν, quam & alii ante nos viderunt, summa imis miscet, dum ait. [k] *P. Nasica togatæ potentiæ clarissimum luimen is qui Consul Jugurthæ bellum indixit* (hic postremus fuit) *qui matrem Idæam Phrygicis sedibus ad nostras aras focosque migrantem sanctissimis excepit* (hic primus fuit) *qui multas & pestiferas seditiones auctoritatis suæ robore oppressit, quo principe senatus per aliquot annos gloriatus est* (hæc partim Corculi, partim Serapionis sunt) *cum ædilitatem Curulem adolescens peteret, manumque cuidam opere rustico duratam more candidatorum tenacius apprehendisset, joci gratia interrogavit eum, num manibus solitus esset ambulare, quod dictum à circumstantibus exceptum ad populum manavit, causamque repulsæ Scipioni attulit.* Hæc omnia eo latius fuimus prosecuti, cum ut in hac parte confusionem quantum in nobis est ex historia tolleremus, tum nequid in vita nostri Jurisconsulti videretur omissum aut perperam ei attributum relinqueretur.

k *Lib. 7. c. 5.*

CAP.

CAP. IV.

Servius Fabius Pictor: disceptatio de Numerio Pictore historico: res à Quinto Fabio Pictore gestæ: Q. Fabius Labeo: de navibus Antiochi à Labeone crematis: T. Manlius Torquatus: ejus severitas in filium: error de eodem Rutilii, & Antonii Augustini, qui eum Atticum appellat: C. Martius Figulus: emendatus Valer. Max. C. Livius Drusus, qui & cæcus fuit: Lapsus in ejus vita Rutilii.

LUbet hoc capite aliquot Jurisconsultos à Pomponio præteritos accensere, quorum primus sit.

Servius Fabius Pictor, quem Cicero *juris & litterarum, & antiquitatis bene peritum* [a] appellat, hic vir quid in republica gesserit omnino incertum est, cum ejus nusquam nisi in citato Ciceronis loco, quod quidem ego viderim, mentio fiat. Nisi corruptos hoc loco codices esse dicimus, & pro Servio Quintum Fabium Pictorem historiæ Romanæ scriptorem reponimus: quod mihi non utique probatur, neque enim historici laudem huic nostro Jurisconsulto detraxisset Cicero, quam paulo ante Aulo Albino, qui cum Lucillo Consul fuit exsertis verbis appositit, quam & alibi etiam in Fabio Pictore agnovit. [b] Dum ait: *sint hæc ut dixi somnia fabularum: hisque adjungatur etiam Æneæ somnium, quod in Numerii Fabii Pictoris Græcis annalibus est.* Idem tamen, qui illic loci Numerius ab aliis Quintus Fabius vocatur, & bello Punico interfuisse dicitur: [c] Unde non sine causa suspectus mihi fit iste Ciceronis de Numerio locus, extat enim in historia Romana Q. Fabii circa illa tempora nomen celebre, non item Numerii, nam illum Numerium qui anno 487. consul fuit, & cum fratre Cajo ad Ptolomeum regem legationem obiit [d] diu ante bellum Punicum

[a] *In Bruto.*

[b] *Lib. 1. de divinat.*

[c] *Dionys. Halic. lib. 1. Antiq.*

[d] *Val. Max. lib. 4. c. 2.*

nicum ſecundum floruiſſe recte ab eruditiſſimo Voſſio animadverſum eſt. Q. autem Fabii Pictoris mentio aliquoties apud Livium occurrit, nam is poſt victoriam Cannenſem *Delphos ad Oraculum miſſus eſt ſciſcitatum quibus precibus ſupplicationibuſque Deos poſſent placare, & quiſnam futurus finis tantis cladibus foret, & reverſus reſponſum ex ſcripto recitavit.* [e] Atque ita coronam quam in capite habebat in Capitolio depoſuit. Idem cum Q. Fabio Labeone Prætor factus, cum flamen quirinalis eſſet Sardiniam ſortitus eſt provinciam, verum à P. Licinio Craſſo Italia egredi prohibitus, inter Peregrinos jus dixit, tandemque circa annum 570. expiravit. [f] Notandum etiam hic obiter fuiſſe & Fabium Pictorem diverſum ab his ſuperioribus, qui latine ſcripſit hiſtoriam cujus meminit Agellius [g] citans ex eo hæc verba: *Quapropter tum primum ex plebe alter Conſul factus eſt vicesimo & ſecundo anno poſtquam Romam Galli ceperunt.* Unde Fabiorum hiſtoricorum meminit Cic. lib. 1. de divinat. De Servio hoc noſtro nihil addam præter hoc unum, quod circa Punici ſecundi belli tempora, vivo etiamnum Catone, vixiſſe ex allegato Ciceronis loco deprehenditur.

e *Liv. dec. 3. lib. 2. & lib. 3.*

f *Liv. dec. 4. lib. 7.*

g *Lib. 5. c. 4. noct. att.*

Q. Fabius Q. F. Q. N. Labeo. Fabii Pictoris coætaneus fuit, & iiſdem ferè quibus ille ornatus laudibus. [h] Atque recte illi conjungetur. Hic vir tam multos Romæ honores geſſit, ut mirum ſit Pomponium, qui profitetur ſe eorum, qui maximæ dignationis apud populum Romanum fuerunt, mentionem facturum, ejus nomen ſilentio præteriiſſe: Quæſturam enim geſſit anno 557. magnumque in eo Magiſtratu cum Sacerdotibus certamen, ob ſtipendia non perſoluta, ſuſtinuit: Poſtea anno 564. Prætor factus claſſi cum imperio præfuit,

h *Cic. in Bruto.*

fuit, cum autem mare pacatum esset, Cretam abnavigavit, & ab ejus insulæ Incolis captivos. Romanos repetiit, receperitne eos nec ne inter auctores non constat, certe ea causa impetrandi navalis triumphi fuit; cæterum eodem tempore & Ephesum vectus *ab Æno & Marma præsidia Antiochi deduci jussit, ut in libertate eæ Civitates essent*, atque ita Philippo etiam regi fines suos direxit. [i] Anno vero 570. Consul cum M. Claudio Marcello creatus, nec domi nec militiæ memorabile quicquam gessit, licet ipsi cum exercitu, quem habebat in Liguribus prorogatum in annum Imperium fuerit. [k] Eodem fere tempore an triumvir deducendæ coloniæ in agrum Caletianum fuerit, merito ambigit Rutilius, videtur enim Provinciâ non excessisse: nisi forte Livius quod alio anno gestum est, dum Colonias omnes recensет, huic anno perperam insperserit. Narratur & alia de Q. Fabio Labeone, nescio an hoc nostro, historia, quam Plutarchus in Apophtegmatis Cliomeni Græco tribuit, eam Ciceronis verbis referam: *Nec noster quidem probandus est: si verum est Q. Fabium Labeonem, seu quem alium (nihil enim præter auditum habeo) arbitrum Nolanis & Neapolitanis de finibus agri à Senatu datum, cum ad locum venisset, cum utrisque separatim locutum, ne cupide quid agerent, nec appeterent, atque ut regredi, quam progredi mallent: id cum utrique fecissent aliquantum agri in medio relictum est: itaque illorum fines sicut ipsi dixerant, terminavit: in medio relictum quod erat, Pop. Rom. adjudicavit, decipere hoc quidem non judicare est.* [l] Idem ferè iisdem verbis narrat Valerius Maximus, addens eundem, cum à Rege Antiocho, quem ipse superaverat, dimidiam navium partem accipere deberet, medias eas secuisse, quod tamen Livius aliter nar-

i *Liv. dec. 4. lib. 7. inf. & 9.*

k *Liv. dec. 4. lib. 9. & 10.*

l *Cic. de Offic. lib. 1. Val. Max. lib. 7. c. 3.*

rat. [m] Cum enim Antiochus ex fœdere (quod apud eundem extat) omnes naves longas, armentaque earum tradere teneretur M. Manlius Proconsul (hæc ejus verba sunt) *Q. Fabio Labeoni qui Classi præerat scripsit, ut Patara extemplo proficisceretur, quæquæ ibi naves regiæ essent concideret: cremaretque profectus ab Epheso quinquaginta tectas naves aut concidit, aut incendit.* Illud silentio prætereundum non est Labeonem hunc poësin quoque cum laude attigisse, ut ex vita Terentii per Donatum conscripta constat, adeo ut ab hoc adjutum in conscribendis comædiis Terentium Santra existimaverit.

m *Liv. dec. 4. lib. 8.*

Titus Manlius A. F. T. N. Torquatus, Sequor enim Fastos Capitolinos eum ita nominantes, prætor fuisse reperitur anno urbis 583. anno autem sequenti in Collegium Pontificum cooptatus est. [n] Postea in annum 588. Consul cum Cn. Octavio creatus (ut ex fastis discimus) quid rerum gesserit, ignorare nos coget temporum injuria, quæ nobis historiam Livii circa hunc annum invidit. Meminit hujus Consulatus & Cicero, [o] cujus locum quia memorabilem de hoc Manlio Torquato continet historiam, subnectere non pigebit, is sic habet. Quid L. Torquatus (ita eum Cicero contra Fastorum, & Livii fidem, corrupto procul dubio codice appellat) *is qui Consul cum Cn. Octavio fuit cum illam severitatem in eo filio adhibuit, quem in adoptionem D. Silano emancipaverat, ut eum Macedonum Legatis accusantibus, quod pecunias Prætorem in provincia accepisse arguerent, causam apud se dicere juberet, neque ex utraque parte audita, pronuntiaret eum non talem videri fuisse in imperio, quales ejus majores fuissent: & in conspectum suum venire vetuit, nunquid videtur tibi de voluptatibus suis cogitavisse?* Idem narrat

n *Liv. dec. 5. lib. 3.*

o *Lib. 1. de finibus.*

narrat Val. Max. p Ubi & hoc inter Torquati elogia ponit fuisse eum Juris Civilis, & sacrorum Pontificalium peritissimum, addens filium ejus tam tristi patris sententia perculsum suspendio vitam finivisse, mox hæc verba subjicit: *at ille neque adolescentis exequiis interfuit, & cum Maxime funus ejus duceretur, consulere se volentibus vacuas aures accommodavit*: unde cum satis pateat Torquatum hunc juris scientia Claruisse, de eodem accipiendus est & hic locus. q *Jam tanta est religio sepulchrorum, ut extra sacra & gentem inferri fas negent esse: idque apud Majores nostros Torquatus in gente Popilia judicavit*: fuit enim illud judicium fundatum in jure Romanorum publico, quod idcirco huic Torquato (cum nemo Jurisconsultus præter hoc enim nomine fuerit) adscripsimus, errat enim graviter Rutilius, dum hunc Titum Manlium Torquatum cum Marco Manilio, cujus infra mentionem faciemus, confundit; hic enim noster Teste Cicerone Consul fuit cum Cn. Octavio anno 588. ille cum Censorino anno 604. Hic Torquatus appellatur ab omnibus, illi nusquam illud cognomen apponitur: huic Lucio apud Ciceronem, apud alios Tito prænomen est, ille multis in locis à Cicerone Marcus vocatur; hunc Jurisconsultum nostrum Antonius Augustinis Atticum dictum fuisse persuadere conatur, putatque Ofilium ad ipsum scripsisse r sed obstat, quod neque Cicero allegato loco, neque Valerius Maximus, neque Fasti uspiam reperiantur huic viro cognomen Attici apposuisse; quare cum Ofilium ad Atticum scripsisse legimus, id de Attico Ciceronis Familiari potius accipiemus, est enim in Jurisconsultis usitatum, ut notissima veterum nomina, cum eorum meminerunt, referant, quare si hunc nostrum designare voluissent,

p *Lib. 5. c. 8 l qui severi ad liberos.*

q *Cic. de legib. lib. 2.*

r *L. 234. de Verb. signif.*

sent, Torquatum, eum proculdubio appellassent.

C. Martius. C. F. N. Figulus. Floruit circa bellum Punicum tertium paulo post annum urbis 600. & Juris Civilis peritissimus habitus est. Patrem habuit C. Martium Caii filium quinti nepotem figulum, qui cum P. Nasica Corculo anno urbis 591. Consul renuntiatus, postquam vitio factum se comperit, Magistratu abiit, sexto vero post anno iterum enim honorem cum L. Cornelio Lentulol Lupo gessit. De hoc Jurisconsulto nihil præter hunc locum Valerii habemus, quem adscribendum duxi. f *Ira & odium C. Figulum mansuetissimum pacato Juris Civilis studio* (ita lego non ut ante. *Judicio*) *celeberrimum prudentiæ moderationisque immemorem reddiderunt. Consulatus enim repulsæ dolore accensus, eo quidem magis, quod illum bis patri suo datum meminerat, cum ad eum postero comitiorum die multi consulendi causa venissent, omnes dimisit:* præfatus, *At vos* (illud malo quam *An vos*) *consulere scitis Consulem facere nescitis. Dictum graviter, & merito; sed tamen aliquanto melius non dictum.*

f *Val. Max. lib. 9. c. 3.*

C. Livius. M. F. Drusus agmen claudat eorum Jurisconsultorum, qui circa hæc tempora à Pomponio prætermissi sunt. Is anno urbis 606. cum P. Scipione Juniore Consulatum gessit; Exinde multos per annos in summa senectute cum etiam oculis captus esset, consulentibus vacavit. Testem ejus rei idoneum habemus Ciceronem, ita loquentem. t *C. autem Drusi domum compleri consultoribus solitam accepimus: cum quorum res esset sua ipsi non videbant, cæcum adhibebant ducem.* Idem de eodem & apud Valerium Maximum. u Reperire est, in hæc verba: *Consimilis perseverantiæ Livius Drusus, qui ætatis viribus, & acie oculorum defectus jus civile populo benignissime interpretatus est, utilissimaque*

t *Cic. lib. 5. Tusc. quæst.*

u *Lib. 8. c. 7. de stud. & Jud.*

maque discere id cupientibus monumenta composuit. Nam ut senem illum natura, cæcum fortuna facere potuit; ita neutra interpellare valuit, ne non animo & videret, & vigeret. Ex quo loco patet hunc Drusum etiam lucubrationes aliquas in Jure civili reliquisse; unde mirandum sane est Pomponium tantum virum silentio præteriisse, cum præsertim videamus ejus à Jurisconsulto. Celso in digestis nostris, una cum Sexto Ælio honorificam fieri mentionem. x Ejus filii Marcus & Cajus tempore Gracchorum floruerunt. Marcus etiam anno 641. Consul fuit, anno vero sequenti de Scordiscis triumphavit, neque enim Rutilio assentior, qui hunc Cajum, Caii illius anterioris Filium Jurisconsultum nostrum esse putat; meminit enim ejus ut longe antiquioris Cicero, dum in superiore narratione, verbo *accepimus*: utitur, atqui Cajum illum Juniorem Cicero videre potuit, deinde & subdit aliam historiam de Cn. Aufidio, qui puero se, cæcus cum esset, in senatu sententiam dicebat & græcam scribebat historiam, secundum temporis ordinem liquido constat, quod de Cajo Livio Druso narratur, id ante Ciceronem natum accidisse.

x *L. si venditor. 38. ff. de Act. emti.* 1.

CAP. V.

Marcus Portius Cato pater: Cicero emendatus: ejusdem cum Fastis pugna: Plinii error, & Plutarchi, itemque Livii: Fadus Epitomæ Livianæ lapsus: res à Catone in rep. gestæ: statua ei posita: quædam in Catone memorabilia: ejusdem elogia, & scripta: emendatus, & explicatus Pomp: hodiernus respondendi mos defensus: M. Cato Filius: res ejus gestæ, & scripta.

REdeamus jam ad Pomponium, temporisque ordinem, aliquantum, dum ab ipso prætermissos consectamur, interruptum; & primus quidem se offert.

M. Portius M. F. Cato. Qui circa belli Punici secundi tempora ad usque Punicum bellum tertium per integrum ferè seculum floruit. Natus enim est post primum Fabii Maximi Consulatum anno urbis 521.[a] obiit autem Lucio Marcio Censorino, & Marco Manilio Consulibus, anno 604. quod itidem ex Cicerone constat.[b] Dum ait: *cum nos, ut perveterem habemus, qui L. Martio M. Manilio consulibus mortuus est annis* LXXXIII. *ipsis ante me Consulem.* Quem locum eo lubentius adduxi, quia in numero (qui sæpe in optimis auctoribus corruptus est) vitium latet: cum enim Cicero Consul fuerit anno urbis 690. Cato vero obijerit anno 604. ut ex Fastis discimus, supersunt post mortem Catonis ad Ciceronis Consulatum anni LXXXVI. atque hoc pacto emendandus est superior locus: Cæterum nec in supputatione ætatis recte Ciceroni aliisque auctoribus cum fastis convenit: Narrat enim Cicero eum annos quinque & octoginta natum excessisse è vita,[c] idemque testatur Plinius ita loquens *Cato* D C V. *anno urbis nostræ obiit*, LXXXV. *suo*[d] quod tamen verum non est si fastorum rationem sequimur, nisi aut nata-

a *Cic. in Catone Majore.*

b *Cic. in Bruto.*

c *Cic. in Bruto.*

d *Lib. 29. c. 1. nat. hist.*

natalem aut obitum illius in alium annum conjiciendum putamus. Certe ex supradictis locis apparet eundem Plinium non accurate loqui, ubi tradit Catonem anno urbis sexcentesimo circa captas Carthaginem, & Corinthum supremum diem claussisse. [e] Illud enim cum aliqua latitudine esse intelligendum superior Plinii locus evincit, ne ipse secum pugnare credatur; Verum ab errore excusari non potest Livius, cum Catonem nonagesimo ætatis anno Galbam accusasse scribit, [f] tot enim annos ut ex superiore supputatione patet vivendo minime explevit, in eodem luto hæret & Plutarchus [g] ita loquens: Σερβίλιον Γάλβα κατηγόρησεν ἐννενήκοντα γεγονώς ἔτη. Id est *servilium Galbam nonagenarius accusavit*; qui auctoritatem Livii secutus verbis quoque ejus inhæsit, nisi in numeris mendum subesse putemus, quod Interpretes quidam subindicare videntur; Illud constat non Servilium, sed Servium dicto loco legi debere, eo enim prænomine Galba fuit. Ad alia ut veniamus, fuit Cato insigni parsimonia reique quærendæ attentissimus, atque eo pacto effecit, ut ipse, qui cum primum ad rempublicam accederet, non magnarum erat facultatum, postea maximas sibi paraverit divitias. Quare fæde labitur Epitomator Livii, [h] dum eum funus filii tenuissimo (quia pauper erat) sumtu fecisse refert; Constat enim ex Plutarcho, Cicerone, aliisque filium Catonis in summa patris senectute obiisse; hujus viri vitam Plutarchus fuse describit, itaque pauca tantum quæ maxime sunt memorabilia excerpam. Primum homo novus cum esset per omnes honorum gradus ad summum ascendit fastigium, & Consul quidem fuit anno 558. Censor vero anno 568. Ex consulatu citeriorem sortitus Hispaniam, totam pacavit, & ne rebellare possent litteras ad singulas ci-

e *Plin. lib. 14. c. 4.*

f *Liv. dec. 4. lib. 9.*

g *In vita Catonis.*

h *Dec. 5. lib. 8.*

vitates misit, ut muros diruerent, quod unaquæque, dum sibi soli imperari putaret, exsecuta est; ita ille tandem de Provincia, armis suis devicta, commento suo prostrata jure meritoque triumphavit. De aliis Magistratibus suis ita eum Cicero facit loquentem. i *Cum Q. Fabio quartum Consule* (anno urbis 539.) *adolescentulus miles ad Capuam profectus sum* (agebat enim tum ille decimum septimum ætatis annum, ut ipse scriptum reliquit) *quintoque anno post ad Tarentum quæstor: deinde ædilis, quadriennio post factus sum Prætor: quem Magistratum gessi Consulibus Tuditano, & Cethego*: anno urbis videlicet 549. Eundem Magistratum iterum gessit sexto post anno, atque eo tempore Sardiniam obtinuit, sanctus atque integer vir, asperior tamen in fœnore coercendo, quia omnes ex ea insula fœneratores ejecit. k Idem aliquot post annis tribunus militum Syriaco bello Thermopylarum jugis præsidium hostium depulit: Multos ipse exagitavit malorum hominum perpetuus accusator, morumque dissolutorum corrector: multorum vicissim per omnem vitam odiis exercitus est, itaque quater, & quadragies pro se causam dixit semper absolutus. l Quare & id honoris vivo ipsi à Pop. Rom. delatum est, ut statua & in salutis templo poneretur cum hac inscriptione: *M^co. Catoni Censori, quod moribus optimis, legibus sanctissimis, præceptis sapientissimis disciplinam populi Romani labantem restituit.* m Sed nec hoc in ejus vita prætereundum est, quod Basilicam suo nomine primus Romæ fecit, quod græcas litteras senex didicit: quod octoginta annos natus uxorem duxit clientis sui filiam, filiumque ex ea suscepit, quod anno ætatis octogesimo quinto Galbam publice accusavit. Elogia ejus apud varios varia exstant: Plinius dicto loco sic

i *Cic. Cato Major.*

k *L. dec. 4. lib. 2.*

l *Plin. lib. 7. c. 27.*

m *Plut. in ejus vita Val. Max. lib. 8. c. 15.*

sic loquitur: *Cato primus Portiæ gentis tres summas in homine res præstitisse existimatus est, optimus orator, optimus Imperator, optimus Senator*, Livii quoque insignem de hoc viro locum non adscribere religio est, is sic habet. n *In hoc viro tanta vis animi ingeniique fuit, ut quocunque loco natus esset, fortunam sibi ipse facturus videretur: nulla ars neque privatæ, neque publicæ rei gerendæ ei defuit, urbanas rusticasque res pariter callebat. Ad summos honores alios scientia Juris, alios eloquentia, alios gloria militaris provexit: huic versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natura ad id unum, diceres quodcunque ageret. In bello manu fortissimus, multisque insignibus clarus pugnis: idem posteaquam ad magnos honores pervenit, summus Imperator: idem in pace, si jus consuleres, peritissimus, si causa oranda esset eloquentissimus, nec is tantum cujus lingua vivo eo viguerit, monumentum eloquentiæ nullum exstet, vivit imo vigetque eloquentia ejus sacrata scriptis omnis generis &c.* Certe orationes ejus Ciceronis ætate exstabant centum quinquaginta, aliquarum inscriptiones & nomina apud festum invenire est. Scripsit & epistolas, & originum libros, & de re militari, & alios quam plurimos. Juris studium quod attinet, in eo excelluisse Catonem ex Livio audivimus: idem testatur Cicero. o *Quid enim M. Catoni præter hanc politissimam doctrinam transmarinam, atque adventitiam defuit? num, quia Jus Civile didicerat, causas non dicebat? aut, quia poterat dicere, Juris scientiam negligebat? at utroque in genere & laboravit, & præstitit*; Ciceronem sequitur Quintilianus. p M. Cato cum in dicendo præstantissimus, tum juris fuit idem peritissimus. Reliquit & aliquos in juris disciplina libros, ut auctor est Pomponius Jurisconsultus, nimirum Commentarios juris à

n *Liv. dec. 4. lib. 9.*

o *Cic. lib. 3. de Orat.*

p *Quint. lib. 12. c. 3.*

Festo in verbo, mundus: memoratos, in quibus imitatus videtur tripartita, alioſque libros Ælio adſcriptos, ita enim hunc Pomponii locum interpretor, dum poſt mentionem eorum librorum à ſe factam, hæc ſubjicit: *Hos ſectatus ad aliquid eſt M. Cato princeps Portiæ familiæ, cujus & libri exſtant, ſed plurimi filii ejus, ex quibus cæteri oriuntur.* Hoc enim vult, Catonem inſtitiſſe Sexti Ælii præcipuè veſtigiis, non ita tamen ut latum inde unguem non decederet, quia paulo alia ratione, quam anteriores ſolent jus tractaverit in iis quos paucos de jure ſcripſit libris, filium vero ejus plura ejuſdem generis ſcripſiſſe volumina, atque ita factum, ut ex hac patris filiique Catonis ſcribendi ratione omnes fere quos poſtea enumerat Pomponius Juriſconſultorum libri pullulaverint. Neque mirum cuiquam videri debet, quod de nova quadam ſcribendi ratione à Catonibus inita dico. Primus enim Cato reſponſa ſua additis eorum, qui ea poſtulaſſent, nominibus, in vulgus emiſit, quem morem alii quoque Juriſconſulti poſteriores ſecuti ſunt, atque eo pacto multos à Juris ſtudio ut nimis laborioſo abſterruerunt, quod indicat Cicero his verbis: q *video in Catonis & Bruti libris nominatim fere referri, quod alicui de jure viro, aut mulieri reſponderint: credo ut putaremus in hominibus non in re conſultationis, aut dubitationis cauſam aliquam fuiſſe, ut quod homines eſſent innumerabiles, debilitati à jure cognoſcendo voluntatem diſcendi ſimul cum ſpe perdiſcendi abjiceremus.* In poſtremo tamen articulo Cicero Juriſconſultis inſignem facit injuriam, qui non eo animo nomina conſulentium exprimunt, ut ex hominibus eorumque diverſis qualitatibus, & non ex perpetui juris ratione, quæſtiones pendere videantur, ſed ut omnibus etiam minutiſſimis circumſtantiis appoſitis, Lectores

q Cic. de Orat.

res eo melius mentem suam capiant, neque quod ibi deciditur alio versum sumant, est enim illud juris indubitati minimam sæpe circumstantiam diversitatem juris inducere. Deinde cum aliqua nota actores à reis, & Consultores ab aliis personis de quibus in quæstione proposita occurrit mentio, distingui necessario debeant: quid interest fictis eos characteribus an veris designemus nominibus? Illud certè ex loco allegato constat nos omnia fere posteriorum Jurisconsultorum consulta Catoni, qui eorum rationem primus introduxit in usum, accepto ferre debere. Sequitur.

M. Porcius M. F. M. N. Cato Catonis superioris filius major natu, qui quanquam decessit juvenis, plurima tamen scripta reliquit ad jus pertinentia quod testatur vel hic locus: *Major Catonis filius, qui prætor designatus patre vivo mortuus est egregios de Juris disciplina libros reliquit.* [r] De ejusdem obitu Cato pater etiam sic introducitur loquens. [f] *Catone meo nemo vir melior natus est, nemo pietate præstantior, cujus à me corpus crematum est, quod contra decuit ab illo meum.* Is quanquam infirmæ esset valetudinis egregiam tamen reipublicæ operam in bello Macedonico navavit; Cumque ipsi gravi ictu ab hoste percusso gladius è manu sudore madente excidisset, convocato sociorum globo in hostes irrupit, atque insigni virtute ensem amissum recuperavit. Quod ejus factum admiratus Paulus Æmilius (cujus tum auspiciis pugnabatur) Filiam ei suam Tertiam Scipionis Junioris sororem in matrimonium collocavit. [t] Ex qua procreavit filium cui etiam nomen Marco fuit; is multas orationes ad exemplum avi scriptas reliquit, & Consul cum Q. Martio Rege factus circa annum 635. in Magistratu obiit. Hujus Catonis qui Censorii filius fuit aliquoties in jure nostro

[r] *Agel. lib. 13. c. 18.*

[f] *Cic. Cat. Maj.*

[t] *Plutarch. in vita Catonis.*

re noſtro mentionem fieri putamus; [u] nam eidem Catonianam adſcribimus regulam, ejuſdem doctrinam ſubtilem admodum de dividuis, & individuis ſtipulationibus, & de menſe intercalari ex jure Pontificio petitam obſervationem, habemus. [x] Quanquam enim hæc etiam patri tribui poſſint, maluimus tamen ea filio, qui plura in hoc genere ſcribendi præſtitit, adjudicare.

u *L.* 10. §. 1. *de Oedil. edict. l.* 44. *ſol. Matrimon.*

x *L.* 4. §. 1. *de verb. oblig. l.* 98. §. 1. *de verb. ſignif.*

CAP. VI.

Manilius Juriſconſultus deque ejus prænomine & familia: Marcus ſæpe pro Manius ſcribitur: Manilii Paupertas: Mos Juriſconſultorum tranſverſo foro ambulandi: Manilius Senator: M. Junius Brutus, filium helluonem habuit: Conciliatur cum Cicerone Pomp. P. Mutius Scævola: Martii ante hunc Juriſperiti: Mutius quidam morbo pediculari abſumtus. P. Mutius pila & ſcrupis luſit: error hac in parte Valerii, & Bertrandi: P. Craſſus Mutius, cur ita dictus: correctus Pomp. locus: Craſſus quinque maxima in hac vita habuit, ejus duritia, & mors memorabilis: Q. Mutius Augur, ejus auctoritas, mores, magnitudo animi etiam in ſene.

M. *Manilius* huic Maximo Juriſconſulto quidam de prænomine, & familia, ſtatus controverſiam movent. Ego ipſi Manio prænomen fuiſſe, & ex nobili Manliorum familia originem duxiſſe eum contendo. Prius de prænomine ex faſtis patet, nam is in fragmentis Capitolinis M. Manilius appellatur: hæc enim Virgula Manios à Marcis perpetuo diſtinguit, quæ differentia ab exſcriptoribus non bene obſervata multa bonis auctoribus menda effudit, ſic qui M. Acilius. i. e. Marcus à Cicerone appellatur, & cum Flaminio Conſul fuiſſe dicitur. [a] Alibi ab eodem Cicerone & Faſtis Manius appellatur. [b] Sic quem Cicero ſæpe M.

a *Cic. Cat. Maj.*
b *In Lælio.*

M. Curium nominat, eundem alibi. [c] Sicut in Faſtis ejus nomen exaratum eſt, Manium dicit: familiam quod attinet, non dubito quin ex iis Manliis fuerit, qui poſt Marcum Manlium Capitolii defenſorem perduellionis damnatum decreverant ne quis ſuæ gentis Marcus appellaretur: [d] argumento eſt quod Cicero hunc Juriſconſultum noſtrum nunc Manlium nunc Manilium vocat, quod nunquam feciſſet, niſi eadem gens promiſcuè illis nominibus uſa foret; fuit autem hic noſter cum Cenſorino Conſul anno 604. urbis quando cæptum eſt bellum Punicum tertium: nam Conſulem fuiſſe teſtatur diſerte Pomponius, neque alium circa hæc tempora Manilium Conſulem in Faſtis reperire eſt: quæ in Conſulatu geſſerit contra Pænos ex epitoma Livii, Floro, aliiſque non adſcribam, eſt enim id abunde ab aliis præſtitum: illud ſilentio involvi non debet, quod hic noſter vir celeberrimus magis quærendæ ſibi bonæ famæ, quam augendis facultatibus ſtuduerit, ut hæc Ciceronis verba oſtendunt. [e] *M. Manilius patrum noſtrorum memoria (ne ſemper Curios & Lucinios loquamur) pauper tandem fuit: habuit enim ædiculas in Carinis, & fundum in Labicano. nos igitur ditiores, qui plura habemus?* De auctoritate vero Manilii hic Ciceronis locus faciet indicium, apud quem ſic loquitur Craſſus *M. Manilium nos etiam vidimus tranſverſo ambulantem foro: quod erat inſigne eum qui id faceret facere civibus omnibus Conſilii ſui copiam, ad quem olim & ita ambulantem, & in ſolio ſedentem domi ſic adibatur, non ſolum & de jure civili ad eum, verum etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique aut officio, aut negotio referretur*: Unde obiter diſcimus veteres Juriſconſultos, qui eam artem profiterentur tranſverſo foro ambulare ſolitos. [f]

[c] *In paradoxis 4. & 5.*

[d] *Liv. dec. 1. lib. 6. Feſt. in voce Manliæ.*

[e] *Cic. paradox. fin.*

[f] *Cic. de Orat.*

Cæterum hunc noſtrum ut ſummi nominis virum Cicero in libris de republica diſputantem introduxit, fuit enim Juriſconſultus & orator quippe qui paulo copioſius P. Scævola dixiſſe fertur, nec multo minus prudenter. g Scripſiſſe autem videtur tres de Jure civili libros, teſte Pomp: in quibus quædam de actionibus emti, & venalibus vendundis (id eſt ut ego interpretor de ædilitio edicto) contenta fuerunt: Nec quiſquam eſt *qui non Teucrum Pacuvii malit, quam Manilianas Venalium vendendorum leges.* h Conjungitur ſæpe cum P. Scævola, & Bruto, quos omnes apprime doctos fuiſſe conſtat. i Meminit & Plinius cujuſdam Manilii ſenatoris, quem diligentiſſime de Phænice ſcripſiſſe ait, eumque vocat nobilem doctrinis doctore nullo. k Sed id an ad noſtrum Juriſconſultum referri debeat, merito ambigitur.

g *Cic. lib. 4. Epiſt. ad Att. Ep. 15. idem in Br.*

h *Cic. lib. 1. de Orat. Varro lib. 2. de re ruſt. c. 7.*

i *L. 5. §. 3. de acq. poſſ. Agell. lib. 17. c. 7.*

k *Plin. lib. 10. c. 1.*

M. Junius Brutus circa eadem tempora vixiſſe videtur, ſolet enim cum Manilio & Scævola, ut coævus citari: ſic Cicero veteres Juriſconſultos enumerans ait *Sext. Ælius. M. Manilius, Brutus.* l Hic vir Prætura geſſit, ad Majores Magiſtratus non aſpiravit, fuit autem & vir Optimus, & Juris peritiſſimus, ſed filium habuit, helluonem, gurgitem, & accuſatorem perpetuum, quod hinc diſcimus m iiſdem temporibus (nempe Gracchanis) *M. Brutus in quo magnum fuit Brute dedecus generi veſtro: qui cum tanto nomine eſſet, patremque optimum virum habuiſſet, & Juris peritiſſimum, accuſationem factitaverit, ut Athenis Lycurgus: is Magiſtratus non petivit, ſed fuit accuſator vehemens, & moleſtus* &c. Idem alibi narrat, hunc Brutum fundos tres, Albanum, Privernatem, & Tyburtem, itemque balneas, & ædes, à patre ſibi relictas diſſipaviſſe. n Sunt autem diverſi Brutus hic Juriſconſultus ejuſ-

l *Cic. lib. 7. ep. fam. 7.*

m *Cic. in Br.*

n *Cic. de Orat. 2.*

ejuſque filius à Bruto qui Cæſarem occidit, ejuſque patre: nam Cicero, qui in locis præcitatis utriuſque meminit, poſtea Brutum quoque patrem tyrannicidæ, poſteriori ſæculo inſerit, eumque magis boni Senatoris quam Oratoris laude cohoneſtat, quod in Juriſconſulti Bruti filium non quadrat. Diſcrepat autem in librorum Bruti enumeratione à Cicerone Pomponius noſter, ille enim in loco citato tres tantum genuinos Bruti libros agnoſcit, hic vero ei ſeptem tribuit; dicendum itaque Pomponium vulgarem opinionem ſecutum libros quoque ſpurios Bruto ſuppoſuiſſe, niſi cum Bertrando textum emendare malumus, ut Manilius ſeptem, Brutus tantum tres reliquerit libros; hujus Bruti ſæpiuſcule in Pandectis fit mentio, ſcripſit ad eum duos Notarum libros Servius Sulpitius, [o] quos ad edictum ſubſcripſit. Citantur & aliæ alibi Bruti ſententiæ, *ut furti damnatum eſſe, qui jumentum alioriſum duxerat quam quo utendum acceperat.* [p] Itemque *Partum ancillæ ad fructuarium non pertinere*, quæ poſtrema ejus ſententia & in Judiciis obtinuit. [q]

P. Mutius. P. F. Q. N. Scævola cum Bruto & Manilio fundaſſe jus civile à Pomp. dicitur, putatur is in familiam ſuam juriſprudentiæ laudem introduxiſſe, quam poſteri ut hæreditariam coluerunt, verum & ipſe eam à majoribus per manus accepiſſe ex hoc Ciceronis loco probari poteſt, ubi Q. Mutius Augur, quem circa eadem fere tempora floruiſſe oſtendemus, ſic loquitur: [r] *Quid hæc jura civilia, quæ jam pridem in noſtra familia ſine ulla eloquentiæ laude verſantur?* Unde colligi non abſurde poteſt, hujus P. Mutii patrem qui Conſul anno 578. fuit, & de Liguribus triumphavit, aut patruum qui anno ſequenti eundem geſſit Magiſtratum in Juriſconſultorum Catalogum recipiendos: quare cum

o *L. 2. de Orig. Jur. L. 5. §. 1. de Inſt. Act.*

p *Agel. lib. 7. c. 15.*

q *Cic. lib. 1. de finibus l. 68. ff. de uſufr.*

r *Cic. de Orat. 1.*

re cum alibi legimus aliquem Mutiorum Juriſperitum morbo pediculari fuiſſe abſumtum, [f] non ſtatim illud cum Bertrando de hoc noſtro accipere debemus; poteſt enim id ad alium ex eadem familia referri. Fuit autem Mutius noſter Conſul anno 620. quo tempore cum Gracchus ſeditioſas agrarias leges animo volveret, Mutius in eum in ſenatu, & populum peroravit, verum petenti Naſicæ ut Gracchum è medio tolleret, reſpondit: *Nullam ſe vim illaturum neque civem Romanum indicta cauſa necaturum*; Idem tamen poſtea Scipionem privatum jure optimo arma in Gracchum ſumſiſſe defendit, ut ex Appiano, Plutarcho, Vellejo aliiſque diſcimus; ipſum Ciceronem hac de re audire operæ pretium eſt. *P. Scipionis factum ſtatim P. Mucius Conſul, qui ingerenda rep. putabatur fuiſſe ſegnior, multis Senatuſconſultis, non modo defendit, ſed etiam ornavit.* [t] Paucis poſt annis, poſt mortem fratris ſui Craſſi Pontifex Maximus creatus eſt, primuſque annales conficere, quod anteceſſores ejus fecerant, deſiit, *ab initio rerum Romanarum uſque ad P. Mucium Pont. Max. res omnes ſingulorum annorum mandabat litteris Pont. Max:* [u] Fuit etiam egregius & acutus quoque Orator Scævola noſter: [x] neque tamen ita ſe ſtudiis dedidit, ut non & aliquando animum honeſtis exercitiis recrearet, nam eum pila & duodecim ſcrupis luſiſſe ex hoc Ciceronis loco diſcimus [y] *licet iſta ratione dicamus pila bene, & duodecim ſcrupis ludere proprium eſſe Juris civilis, quoniam utrumque eorum P. Mucius optime fecerit*, quod & confirmat Quintilianus. [z] Addens eum tantæ fuiſſe memoriæ, ut dum rus tendit totius certaminis ordine repetito, errorem ſuum detexerit. Male itaque Valerius [a] Q. Mucio Auguri (de quo ſtatim agemus) tribuit luſum pilæ & calculorum contra auctoritatem Ciceronis cui nos potius ſtandum puta-

f *Plutarch. in Sylla.*

t *Cic. Orat. pro domo Val. Max. lib. 3. c. 2.*

u *Cic. lib. 2. de Orat.*
x *Cic. in Br.*

y *Cic. de Orat. 1.*

z *Quint. lib. 11. c. 2.*

a *Val. Max. lib. 8. c. 8.*

putamus. Neque potest loco Ciceronis allegato pro Publio Quintus reponi, quia Q. Mutius is cujus meminit Valerius, disputationi de Oratore à Cicerone perscriptæ interfuit; atque ita alio modo nominandus fuerat. Errat & Bertrandus dum quæ de Q. Mutio juniore dicuntur [b] ad hunc Publium refert. Certe hujus nostri mentio quoque in Pandectis occurrit, laudatur enim hæc ejus sententia, qua statuit maritum in rebus dotalibus culpam præstare debere, & eum quem populus Romanus semel dedidisset civem Romanum non manere, quod in causa Mancini præcipuè disputatum est. [c] Idem dicere solebat: *id solum esse ambitus ædium, quantum parietis communis tegendi causa tectum projiceretur, ex quo in tectum ejus ædes qui protexisset aqua deflueret.* [d] Plura ejus generis apud auctores reperire est: Decem in Jure libros ab eo relictos narrat Pompon.

[b] *L. 30. prò Socio.*

[c] *L. 66. ff. sol. Matr: L. 17. fin. ff. de leg.*

[d] *Cic. in Top.*

P. Licinius. P. F. P. N. Crassus Mutianus. Nemo miretur huic crasso avum Publium, Publio vero Scævolæ ejus fratri avum Quintum à nobis assignari, hic enim Mutianus per adoptionem insertus fuit familiæ Crassorum, atque eo pacto alium patrem alium quoque avum nactus est, sicut id & in Scipione Juniore usu venire videmus: errat igitur Rutilius dum eum è Crassorum gente in adoptionem Mutiæ familiæ adscitum dicit, est enim dictus Crassus Mutianus, ut ille alter Scipio Æmilianus, qui naturalem patrem L. Paulum habuit. Hic Crassus & Orator, & Jurisconsultus naturæ fortunæque dotibus instructissimus Pontifex Maximus & Consul creari meruit. Pontifex quidem anno 619. in locum Nasicæ Serapionis suffectus est: Consulatum vero anno 622. gessit, ut mirum sit tantum virum à Pomponio fuisse prætermissum, neque enim

illa genuina sunt verba Pomponii ubi Crassi Muciani meminit, sed glossatoris alicujus quod præter rationem temporis prænomen Lucii abunde testatur, itemque adjecta qualitas qua à Cicerone Jurisconsultorum disertissimus vocari dicitur, quæ huic Crasso Mutiano non conveniunt, quare ita legendus est Pomponii locus [e] *Etiam Sext. Pompejus Gnei Pompeji patruus fuit eodem tempore, & Cælius Antipater qui historias conscripsit, sed plus eloquentiæ quam scientiæ Juris operam dedit: etiam L. Crassus, hunc Cicero ait Jurisconsultorum dissertissimum.* Intermedia autem verba à sciolo quodam præter mentem Pomponii adjecta sunt. Res ab hoc Crasso in Consulatu gestas varii narrant, nos hæc tantum delibabimus: Crassus cum primus è Romanis Pont. Max. cum exercitu extra Italiam proficisceretur in Aristonicum brevi tempore omnes græcæ linguæ differentias perdidicit, [f] quæ res ei maximum sociorum amorem conciliavit, tandem ab Aristonico victus in ejus potestatem vivus pervenit, sed nequid indignum homine Romano pateretur, virgam in barbari alicujus oculum direxit, qui vi doloris accensus latus Crassi sica perfodit. [g] Vellejus Paterculus hunc Crassum Juris peritissimum, cum ex Asia Proconsul decederet, ab Aristonico interemtum narrat. [h] Habuit autem hic noster bonorum maxima, *quod esset ditissimus, quod nobilissimus, quod Jurisconsultissimus, quod Pont. Maximus.* [i] Quanquam hæc laus à Livio Crasso Majori supra à nobis memorato tribui videtur. Fuit autem in exigendis mandatis paulo durior, nam Architectum Athenienſem, qui majorem è duobus malum faciendo arieti mittere jussus, minorem, & suo judicio aptiorem dederat, flagris concidi imperavit, ut ex Agellio dicto loco discimus.

e *L. 2. de Orig. Jur.*

f *Val. Max. l. 8. c. 7.*

g *Val. Max. lib. 3. c. 2.*

h *Vell. Paterc. lib. 2.*

i *Agell. lib. 1. c. 13.*

mus. De Jurisprudentia Crassi Cicero sic loquitur. [k] *P. Crassum illum divitem, & multis aliis in rebus elegantem hominem, præcipuè in hoc ferendum & laudandum puto, quod cum L. Scævolæ frater esset solitus est ei persæpe dicere, neque illum in Jure Civili satis illi arti facere posse, nisi dicendi copiam assumsisset, neque se ante causas amicorum tractare, atque agere cæpisse quam jus civile didicisset:* Idem quoque alibi ingenium, studium, scientiam, industriam, gratiam ejus commendat. [l] Et sæpe eum causas Orasse, persæpe & consultum narrat.

[k] *Cic. de Oratore 1.*

[l] *Cic. in Bruto.*

Q. Mutius. Q. F. Q. N. Scævola qui plerumque ab auctoribus Augur cognominatur, filius ejus Quinti qui anno 579. consul fuerat, à Cicerone in libris de Oratore differens introducitur: fuit autem is C. Lælii gener, à quo & in Augurum Collegium fuit cooptatus, itemque L. Crassi Oratoris socer, eum Cicero audivisse se dicit. [m] Is Consul anno 636. cum L. Cæcilio Metello fuit, eundem & percomem fuisse memoriæ proditum est, itaque T. Albutium Prætorem græca salutatione compellavit, quod Lucilius his verbis expressit.

[m] *Cic. in Br. & de Amicitia.*

Χαῖρε, *inquam, Tite, lictores, turma omni cohorsque* Χαῖρε. *Hinc hostis Muti Albutius, hinc inimicus.* [n] Perstrixit tamen & ipsum Lucilius dum ait: *Crassum habeo generum ne Rhetoricoteros tu sis.* Quantæ hic Jurisconsultus auctoritatis fuerit vel ex his locis constat. [o] *Mutius Augur quod per se opus erat ipse dicebat, ut de pecuniis repetundis contra T. Albutium: is Oratorum in numero non fuit, Juris Civilis intelligentia atque omnis prudentiæ genere præstitit, & alibi.* [p] *Est sine dubio domus Jurisconsulti totius Oraculum civitatis. Testis est hujusce Q. Mutii Janua & vestibulum, quod in ejus infirmissima valetudine, affectaque jam ætate maxima quotidie frequentia civium summorum hominum*

[n] *Cic. lib. 1. de finibus.*

[o] *Cic. in Br.*

[p] *Cic. de Orat. 1.*

num splendore celebratur. Quam anxie Juris Civilis diligens fuerit ex Valerio discimus, qui eum testem productum, sibi soli credi nolle asseverasse tradit: *Quoniam unius testimonio aliquem credere pessimi esset exempli.* q Tantæ autem moderationis fuit, ut *quotiescunque de Jure prædiatorio consulebatur, ad furium, & Cæsellium, qui huic scientiæ dediti erant, Consultores rejiceret.* r Idem *virtutis veræ custos rigidusque satellites* à Sylla cogi non potuit, ut C. Marium hostem judicaret, sed in masculam hanc vocem erupisse legitur: *licet mortem identidem miniteris, nunquam tamen efficies, ut propter exiguum, senilemque sanguinem meum, Marium, à quo urbs & Italia conservata est, hostem judicem.* f Summa quoque in senectute munia reipublicæ non deseruit, sed cum ob Saturnini tumultum Senatus arma capienda censuisset, hastili nixus, animi vim, & infirmitatem corporis ostentavit, ut ex Ciceronis pro Rabirio oratione constat.

q *Val. Max. lib. 4. c. 1.*

r *Val. Max. lib. 8. c. 12. Cic. in Orat. pro Balbo.*

f *Val. Max. lib. 3. c. 8.*

CAP. VII.

L. Cælius Antipater: historiam scripsit Rom: Ciceronis & Pompeii de eo Judicia discrepantia: Paulus Virginius: conjectura in Pomp: Sex. Pompejus: Q. Ælius Tubero: conjectura in Plinio ejusque stemma: mendum è Pomp. sublatum, ejusdem lapsus: repulsa ob parsimoniam: P. Rutilius Rufus: Faceta notarum explicatio: Res à Rutilio gestæ: error Bertrandi: reprehensus iterum Bertrandus dum Sigonium reprehendit; error Pomponii & Epitomæ Livianæ: Rutilius ex hoc in honore habetur, redire non vult; ejus soror Rutilia: L. Crassus Orator, ejus in censura edictum contra Rhetios. Mors ejusque causa: facetiæ & mores: alius P. Crassus, ejusdem temporis.

L. *Cælius Antipater* à Cicerone Q. Mutio Auguri subjungitur, itaque & à nobis eodem ordine recen-

censetur: Is & Juriſconſultus fuit egregius, & Romanam egregie ſcripſit hiſtoriam, primum teſtatur Cicero [a] *L. Cælius Antipater ſcriptor fuit ut temporibus illis Luculentus, juris valde peritus; multorum etiam ut L. Craſſi Magiſter.* De hiſtoria Antipatri idem tale fert Judicium [b] *Paululum ſe erexit, & addidit hiſtoriæ majorem ſonum vocis, vir optimus Craſſi familiaris Antipater*, Deinde ſubnectit: *Sed iſte ipſe Cælius neque diſtinxit hiſtoriam varietate locorum neque verborum collocatione, & tractu Orationis leni & æquabili perpolivit illud opus*: &c. *Sed ut homo neque doctus neque maxime aptus ad dicendum, ſicut potuit, dolavit: vicit tamen ſuperiores.* Idem alibi [c] tradit hunc paulo inflaſſe vehementius, alioſque ut accuratius ſcriberent hiſtorias admonuiſſe. Ex quibus locis apparet Juriſconſulti Pomponii & Ciceronis de hoc viro Judicia longe diſcrepare: ille eum majorem eloquentiæ, quam ſcientiæ juris operam dediſſe ait, hic doctum aut magnæ eloquentiæ fuiſſe negat, quod ut excuſet loco citato ſubdit hæc verba: *Nemo enim ſtudet eloquentiæ noſtrorum hominum, niſi ut in cauſis atque in foro eluceat, apud græcos autem eloquentiſſimi homines remoti à cauſis forenſibus, cum ad cæteras res illuſtres, tum ad ſcribendam hiſtoriam maxime ſe applicuerunt*: Denique ille huic noſtro mediocrem tantum juris tribuit ſcientiam, hic vero inſignem Meminit ſecundi hiſtoriarum libri Agellius, ubi Antipatrum aliqua verba à Catone mutaſſe notat. [d] quæ à quibuſdam afferuntur ad l. 17. ff. de ædil.ed. minime huc ſpectare infra in Publicio Gellio & Cælio Sabino oſtendemus.

[a] *Cic. in Br.*

[b] *Cic. de Orat. 2.*

[c] *Cic. de leg. 1.*

[d] *Lib. 10. c. 24 Agell.*

Paulus Virginius circa eadem tempora à Pomponio inter Juriſconſultos nominatur, ſed quis fuerit quidve in Rep. geſſerit neque hactenus quiſquam dixit, neque

ego expediam: unde forte mendum aliquod subesse odorari licet, & legendum *M. Vigellius*, *qui Stoicus & Panætii auditor fuit*, *ut Cicero* scriptum reliquit [e] *Quid est quod aut Sex. Pompejus*, *aut duo Balbi*, *aut meus amicus qui cum Panætio vixit M. Vigellius*, *de virtute hominum Stoici possint dicere?* quod mihi inverisimile non fit, præsertim cum hoc loco à Pomponio Jurisconsultos enumerari videam, qui Philosophis, & præcipuè Stoicis, operam dederunt.

e *Cic. de Orat. lib. 3.*

Sextus Pompejus S. F. CN. N. patruus Cn. Pompeji Magni à Pomponio in eadem classe ponitur, & merito; fuit enim is non tantum juris, sed & multarum artium peritissimus, ut vel hinc discimus. [f] *Cn: Pompejus Sexti filius Cn. Junioris pater aliquem* (inter orarores) *numerum obtinebat*, *nam Sextus frater ejus præstantissimum ingenium contulerat ad summam Juris Civilis*, *& ad perfectam Geometriæ*, *rerumque Stoicarum scientiam*, & alibi. [g] *Si quæ res incident*, *in qua de natura*, *de vitiis hominum*, *de cupiditatibus*, *de modo*, *de continentia*, *de dolore*, *de morte dicendum sit*, *forsitan*, *si ei sit visum*, *cum Sex. Pompejo*, *erudito homine in Philosophia communicabit.* Non mirum itaque videri debet quod posteriores Jurisconsulti Stoicæ disciplinæ addictiores fuerint, cum eorum antecessores non è minimis eidem sectæ nomina sua dedisse comperiantur.

f *Cic. in Br.*

g *Cic. de Orat. 1.*

Quintus Ælius. Q. F. P. N. Pætus Tubero patrem habuit Quintum Ælium Æmilii Pauli generum, ad quem referri debet hic Plinii [h] locus: *propter quinque pondo notatum à Censoribus triumphalem senem fabulosum jam videtur. Item Catum* (forte *Quintum*) *Ælium cum legati Ætolorum in Consulatu prandentem in fictilibus adissent*, *missa ab his vasa argentea non accepisse*, *neque aliud habuisse argenti ad supremum vitæ diem: quam*

h *Pl. lib. 33. c. 11. Val. Max. lib. 4. c. 4. Plut. in Paulo Æmilio.*

quam duo pocula, quæ L. Paulus Socer ei ob virtutem devicto Perseo Rege donasset. Fuit autem Consul eo ipso anno quo de Perseo triumphavit socer, nimirum urbis 587. habuit itaque hic noster avum maternum L. Paulum, avunculum Africanum minorem; hunc auditorem Panætii vocat Pomp: malè librarii qui Pansæ descripserunt, vixit enim Pansa multis post hunc Tuberonem annis, ut recte Antonius Augustinus annotavit; Eundem & Consulatum gessisse innuit Pomponius, quod tamen nunquam factum esse hic evincit locus [i] *Q. Ælius Tubero fuit eo tempore, L. Paulli Nepos, nullo in Oratorum numero, sed vita severus & congruens cum ea disciplina quam colebat* (id est Stoica) *ut vita sic oratione durus, incultus, horridus, itaque Majorum honoribus respondere non potuit.* Quare quod de consulatu Tuberonis narrat Pomponius, id ad juniorem Tuberonem pertinet: nisi malumus dicere Pomponium similitudine nominis deceptum, quod patris Tuberonis erat (quem Consulem fuisse diximus) huic ejus filio tribuisse, neque mirari quisquam debet hominem Stoicum, durioris vitæ, ad honorem Consulatus non fuisse admissum, cum eandem ob causam Prætoriis Comitiis repulsam aliquando tulerit [k] *Q. Ælius Tubero à Q. Fabio Maximo epulum populo nomine P. Africani patrui sui dante, rogatus ut triclinium sterneret: Lectulos Punicanos pellibus hædinis stravit, & pro argenteis vasis Samia exposuit: cujus rei deformitate sic omnes offendit, ut cum alioqui vir egregius haberetur, Comitiisque Prætoriis candidatus in campum L. Paulo avo, & Q. Africano avunculo nixus descendisset, repulsa inde notatus abierit.* In hujus tanti viri morte laudanda graviter tulit Pop. Rom. hanc perversam Tuberonis sapientiam. [l] Præsertim cum memi-

i *Cic. in Br.*

k *Val. Max. lib. 7. c. 5.*

l *Cic. Orat. pro Muren.*

nisset eundem in Triumviratu contra ejusdem Africani testimonium judicasse, vacationem augures, quominus judiciis operam darent, non habere. [m] De vita & doctrina hujus Tuberonis varia afferri possunt Testimonia: Illud Ciceronis loco citato omittendum non est: *fuit autem Constans civis & fortis, & imprimis Graccho molestus: quod indicat Gracchi in eum oratio: sicut etiam in Gracchum Tuberonis: Is fuit mediocris in dicendo; doctissimus in disputando:* Quod deinde ipsi cum omnibus Stoicis commune fuisse subjungit; & alibi *Virum summa virtute, & prudentia* [n] vocat. Agellius vero ex Cicerone hæc citat verba: *Nec vero scientia Juris Majoribus suis Q. Ælius Tubero defuit, doctrina etiam superfuit;* [o] Utpote qui disciplinas Stoicas, & dialecticas percalluerat, hinc Tacitus de Stoicis agens: *Ista secta Tuberones, & Favonios veteri quoque reipublicæ ingrata nomina genuit.* [p] His Tuberonis virtutibus inductus Cicero ei in libris de republica aliquas differendi partes tribuit, sicut ipse testatur. [r] Parsimoniam quoque Tuberonis summis ad cœlum laudibus extollit Seneca. [s] Videtur ad hunc nostrum quædam de dolore ferendo scripsisse Panætius, Hecaton vero Rhodius Panætii discipulus aliquot de officiis libros. [t] Meminerunt aliquoties Jurisconsulti posteriores Tuberonis: indicant; & alii auctores historias & alia quædam à Tuberone conscripta fuisse, sed nos ea omnia ad Juniorem Tuberonem, hujus forte atnepotem propter argumenta infra deducenda, pertinere putamus.

m *Cic. in Br.*

n *Cic. de Orat. 3.*

o *Agell. lib. 1. c. 22.*

p *Tac. ann. lib. 16.*

r *Epist. ad Att. lib. 4. Epist. 15.*

s *Epist. 96. & 99.*

t *Cic. de Off. lib. 3.*

P. Rutilius. F. Rufus. Cujus viri vita ostendit verissimum esse illud Mimi effatum

Legem nocens veretur, fortunam innocens

cum enim doctrina esset eximia, & moribus sanctissimis à ju-

à judicibus infensis in exilium actus fuit. Is adolescens P. Mutii ædes frequentando bonum sibi nomen peperit, qua de re sic Cicero. u *P. Rutilii adolescentiam ad opinionem, & innocentiæ, & Juris scientiæ P. Mutii commendavit domus.* Evasit itaque vir justissimus & innocentissimus quod vel ex hac narratione constat: *Cum amici cujusdam injustæ rogationi resisteret, atque is per summam indignationem dixisset: Quid ergo mihi opus est amicitia tua: quod rogo non facis? respondit, imo quid mihi tua, si propter te aliquid inhoneste facturus sum?* x Idem cum Tribunus plebis esset Mancinium, quem Pop. Rom. Numantinis dedi jusserat, de Senatu jussit educi, quod eum civem negaret esse. y Postea tamen anno 638. Consulatum petens repulsam tulit, quod ita ægre passus est, ut prælatum sibi Æmilium Scaurum in judicium vocaret, at ille absolutus Rutilium ambitus accusavit, quo tempore festivi ei quippiam accidit, quod ipsis Ciceronis verbis narrabo: z *Cum Scaurus accusaret Rutilium ambitus, cum ipse Consul esset factus, ille repulsam tulisset, & in ejus tabulis ostenderet litteras A. F. P. R. idque diceret esse actum fide Publii Rutilii; Rutilius autem: Ante factum post relatum: C. Cannius eques Rom: cum Rufo adesset, exclamat neutrum illis litteris declarari: Quid ergo? inquit Scaurus, Æmilius fecit, plectitur Rutilius.* Honores varios gessit, nam Quæstor Quinti Mutii in Asia fuit a & Præturam quoque gessisse reperitur, in quo Magistratu negavit se amplius datum patrono, quam operarum, & societatis actionem. b Tandem etiam anno 648. ad Consulatum cum perveniisset, disciplinæ præcipuè militari operam dedit, atque armorum tractandorum usum militibus tradidit, accersitis enim ex ludo Scauri gladiatoribus, vitandi

u *Cic. de Offic. lib. 2.*

x *Val. Max. lib. 6, c. 4.*

y *Cic. de Orat. lib. 1.*

z *Cic. de Orat. lib. 2. & in Bruto.*

a *Ascon. Pæd. in divin.*

b *L. 1. §. 1. de bonis libert.*

atque inferendi ictus subtiliorem rationem legionibus ingeneravit. [c] Quod autem Bertrandus putat hunc nostrum generum suum Q. Fabium, quia negligentia sua Taurominitanam arcem amiserat, provincia jussisse decedere, in eo valde labitur, agit enim Valerius Maximus loco à Bertrando citato [d] de consule P Rupilio, qui anno 621 bellum in Sicilia cum fugitivis gessit. Illud certum est hunc nostrum cùm secundum leges filium in contubernio suo posset habere, militem eum in legione feciſſe, & legem etiam tulisse de tribunis aliquot militum à Consule non à populo legendis, qui ab eo Rufuli dicti. [e] [f] Quid in Consulatu gesserit, & quam Provinciam cum exercitu obtinuerit negat se reperire potuisse in fastis suis Carolus Sigonius, quod immerito mirari se scribit Bertrandus, neque enim vir in omnis generis litteris, præcipuè vero in Historia Romana versatissimus, Jurisconsulto Pomponio asserenti eum Proconsulem Asiæ fuisse omnimodam fidem adhibuit, quemadmodum & nos ejus auctoritati in loco etiam de mendis suspecto standum non putamus; præsertim cum Livii epitomatorem [f] hac in parte erroris manifesti convincat eruditissimus Vossius. Tandem temporibus Marianis cum penes equites judicia essent conspirantibus in ejus exitium publicanis, quos in Asia more suo grassari passus non erat, repetundarum accusatus, causam suam non nisi graviter, severe, & pro dignitate, agi voluit, atque ita inimicorum calumniis victa Innocentia, condemnatus & in exsilium ejectus est, qua de re Cicero. [h] *Cum esset ille vir exemplum ut scitis innocentiæ, cumque illo nemo neque integrior esset in civitate, neque sanctior, non modo supplex Judicibus esse noluit, sed ne ornatius quidem aut liberius causam dici suam, quam simplex ratio veritatis fere-*

c *Val. Max. lib. 2. c. 3.*

d *Lib. 2. c. 7.*

e *Frontin lib. 2.*

f *Est in verbo: Rufulus.*

f *Dec. 7. lib. 10.*

h *Cic. de Orat. lib. 1.*

ferebat. Quod & latius ibidem & in Bruto perſequitur, & Valerius Maximus d. lib. c. 4. calamitatem noſtri facunde his verbis miſeratur Vellejus. [i] *P. Rutilium virum non ſæculi ſui ſed omnis ævi optimum interrogatum lege repetundarum maximo cum gemitu civitatis damnaverunt.* Neque tamen Rutilianæ virtutis ſplendor, hoc Judicio (quo penitus convulſa eſt Reſpublica) ita offuſcari potuit, ut non alibi radios ſuos exſereret: Ipſe enim exſilio auctoritatem ſuam non perdidit apud exteras gentes, ſed potius auxit, quippe cui Aſiam petenti omnes civitates legatos ſuos obviam miſerint: [k] Denique etiam eum ſibi civem Smyrnæi addiderunt. [m] Quare etiam cum reditum ei in patriam Syllana victoria præſtaret, in honorificentiſſimo exſilio remanere maluit, quam ad ingratos cives reverti, hinc Ovidius [n]

Et grave magnanimi robur mirare Rutili
Non uſi reditus conditione dati.
Smyrna virum tenuit, &c.

Hinc Seneca. [o] *Infelix eſt Rutilius, quod qui illum damnaverunt cauſam dicent omnibus ſæculis? quod æquiore animo paſſus eſt ſe patriæ eripi, quam ſibi exſilium* &c. Et alibicuidam reditum ipſi precanti dixiſſe refert: *Quid tibi mali feci, ut mihi pejorem reditum, quam exitum optares, malo ut patria exſilio meo erubeſcat, quam reditu mæreat.* Habuit & Rutilius ſororem Rutiliam ejuſdem animi & conſtantiæ fœminam, quæ Cottam filium in exſilium ſecuta, non ante in patriam, quam cum filio rediit, teſte eodem Seneca. [q] Fuit autem Rutilius noſter, ut ad ſtudia ejus veniamus, Juriſconſultus Maximus, Philoſophus Stoicus egregius, & orator quidem ſed minus probatus, ut ex hoc loco conſtat, [r] *Rutilius in quodam triſti, & ſevero genere dicendi*

i *Vell. Paterc. lib. 2.*
k *Val. Max. lib. 2. c. 10.*
m *Tac. lib. 4. Ann. Cic. in Orat pro Balbo.*
n *De Ponto lib. 1. eleg. 4.*
o *De providentia. c. 3.*
p *De benef. lib. 6.*
q *In Conſol. ad Alb.*
r *Cic. in Br.*

cendi versatus est, natura vehemens & acer. Et deinde *multa opera multaque industria Rutilius fuit, quæ erat propterea gratior, quod idem magnum munus de jure respondendi sustinebat, sunt ejus orationes jejunæ, multa præclara de jure, doctus vir, & græcis litteris eruditus, Panætii auditor, prope perfectus in Stoicis* &c Scripsit autem Rutilius historiam rerum Romanarum græce, librum etiam de vita sua, & orationes aliquot, de quibus consulendus doctissimus Vossius in suo de græcis historicis tractatu, quem vere omnis antiquitatis penum dixeris. Occurrit hujus nostri Rutilii aliquoties in Pandectis mentio; sed in responsis tantum, plura an scripserit nescio. [f] An ad hunc nostrum pertineat historia à Plinio lib 7 c. 36 narrata de Rutilio, qui audita fratris in Consulatu repulsa ilico expiraverit, ut incertum in medio relinquo.

f *L.* 10. §. 3. *ff. de usu, & habitat.* *L.* 3. §. 9 *ff. de penu leg.* *L.* 1. §. 1. *ff. arb: cæd.*

P. Licinius Crassus à Pomponio, ut supra in P. Crasso Mutiano exposuimus, huic loco inseritur, cujus vitam à Rutilio, Bertrando. aliisque præteritam nos è tenebris in lucem protrahemus. Hic est ille maximi nominis orator, quem Cicero introducit loquentem [t] qui à Q. Mutio Scævola, & Cælio Antipatro in Jure Civili institutus, egregie de eo disputavit, & in explicanda æquitate copiosissimus fuit, adeo ut & ipsum Q. Scævolam copia argumentorum obrueret. [u] Fuit autem natus Q. Cæpione, & C. Lælio Consulibus anno 613, triginta quatuor ante Ciceronem natum annis; causas egit cum summa admiratione admodum adolescens, omnes Magistratus simul cum Q. Scævola gessit, nisi quod anno post tribunus plebis fuit, censuram vero, Scævola eum Magistratum non petente, cum alio collega exercuit. Consulatus porro Crassi incidit in annum 638. quo tempore lata est lex Mutia Licinia de regendis

t *In lib. de Orat.*

u *Cic. in Br.*

gendis in sua civitate sociis, quæ causam dedit bello sociali. Proconsul Galliam Provinciam habuit, in qua cum & rem militarem attigisset, cæsis aliquot in citeriore Gallia latronibus, triumphum postulavit, sed is ipsi obnitente collega Scævola, & Sc^to. intercedente negatus est. [x] Tribus post annis cum domitio Ahenobarbo censuram, sed frequentem jurgiis propter dissimilitudinem morum, gessit, [y] in qua tamen edictum contra latinos Rhetores proposuit, cujus edicti verba apud Agellium [z] extant; tandem anno sequenti vehementer commotus oratione L. Philippi Consulis, qui in Senatorium ordinem graviter erat invectus, facunde deploravit casum Senatus, neque consuli pepercit: quod ille æger ferens, Crassum pignoribus captis coërcere tentavit, sed is se nisi lingua excisa coërceri posse negavit, cumque vehementissima animi contentione multa in illum dixisset, latus ei condoluit, sudorque plurimus est insecutus, ex quo cum cohorruisset, cum febri domum rediit, dieque septimo est lateris dolore consumtus. [a] hunc exitum habuit vir Ciceronis Judicio *eloquentium Jurisperitissimus, quodque difficile est idem & perornatus & perbrevis.* [b] Magna fuit in hoc viro comitas, & lepor, ut cum dixit errare eos qui putarent, *Oratam* hominem luxuriosum, remotum à lacu cariturum ostreis, namque ea in tegulis reperturum. [c] Item cum Domitium collegam suum columnas ipse Hymettias objicientem facetè elusit, & alia ejus generis multa cum totius Pop. Rom. risu concionibus suis insperst. [d] Magna quoque in eo fuit gravitas & constantia, ut cum Consuli Philippo dicenti se alio Senatu opus habere, respondit: *non es mihi Philippe Consul, quia nec ego tibi Senator sum.* [e] Non minore etiam fuit verecundia, qui induci non potuit, ut more

x *Cic. lib. 1. de Juvent: Ascon. in Pisoman.*
y *Plin lib. 17. c. 1. Val. Max lib. 9.*
z *Agell. lib. 15. c. 11.*
a *Cic. de Orat. 3.*
b *Cic. in Br.*
c *Val. Max. lib. 9. c. 1.*
d *Cic. de Orat. lib. 2. Plin. lib. 35. c. 4.*
e *Val. Max. lib. 6. c. 2. Cic. de Orat. 3.*

candidatorum populum prenſaret præſente Q. Scævola graviſſimo, & ſapientiſſimo viro ſocero ſuo; [f] neque vero ei fiducia ſui defuit, quippe qui in proconſulatu Carbonem inimiciſſimum ſibi hominem integritatis ſuæ teſtem, omnibus Conſiliis adhibere non dubitaverit. [g] Denique ea fuit Continentia, ut cum C. Carbonem detuliſſet, & ſcrinium ejus à ſervo allatum ad ſe eſſet continens complura, quibus facile opprimi poſſet, illud ipſum ut erat ſignatum cum ſervo ad eum remiſerit. [h] Fuit huic noſtro coævus alius quidam Craſſus P. nomine qui & ipſe cenſuram geſſit, & temporibus Marianis, ne quid indignum ſe pateretur ſuapte manu mortem ſibi conſcivit, [i] de quo intelligendus eſt loqui Epitomator Livii Dec. 8. lib. 10. id ne errorem in hiſtoria generaret adſcribendum Duxi.

f *Idem lib.* 4. *c.* 5.

g *Idem lib.* 3. *c.* 7.

h *Id. lib.* 6. *c.* 5.

i *Cic. de Orat. lib.* 3.

CAP. VIII.

Q. Mutius Scævola Pont. Max: Error in eo Bertrandi: Feſtum Mutia, ejuſque cauſa: Scævolæ mors: impudentia ſuprema Fimbriæ: Vellejus emendatus: Scripta Scævolæ, & qui ad ipſum notaverunt. C. Aquilius Gallus ejuſque Elogia: Pomponii locus malè à Bertrando affectus: in Cicerone conjectura: Aquilii judicium memorabile, formulæ ab illo introductæ: L. Lucilius Balbus; aliquot Balbi ejuſdem fere ætatis recenſentur: Sextus Papyrius, Cajus Juventius, idem qui Ciceroni Titus: lapſus Bertrandi.

Q *Mutius. P. F. P. N. Scævola*, fuit Filius Juriſconſulti & Pontificis maximi, ſupra à nobis memorati: Cavendum itaque ne aut hunc cum parente, aut cum Q. Mutio Augure cujus etiam vitam deſcripſimus, confundamus. Qua in re Bertrandus, qui alios de hoc errore vitando commone-facit, ipſe graviſſime impingit, ut cum eum ludum ſcruporum & pila luſitaſſe

taſſe amaſſe dicit, quod Patri tribuendum oſtendimus, & cum eum infirma valetudine fuiſſe narrat, quod Q. Mutii Auguris eſt, ut ex locis ſupra allegatis patet. Fuit autem hic noſter Juriſconſultus inſignis, Orator non è minimis, vir multa cum gravitate facetus: quæ omnia nos Cicero docet, cum Craſſus ab eo ſic introducitur loquens, *Q. Scævola æqualis & Collega meus, homo omnium & diſciplina juris eruditiſſimus, & ingenio prudentiaque acutiſſimus & oratione maxime limatus, atque ſubtilis, atque ut ego ſoleo dicere juriſperitorum Eloquentiſſimus, eloquentium juriſperitiſſimus:* [a] *ſed has laudes alibi ita diſperſit Cicero, ut eloquentium juriſperitiſſimum Craſſum, juriſperitorum eloquentiſſimum Scævolam appellet, addens, Craſſus erat elegantium parciſſimus, Scævola Parcorum elegantiſſimus. Craſſus in ſumma comitate habebat etiam ſeveritatis ſatis, Scævolæ multa in ſeveritate, non deërat tamen comitas* [b] Et alibi eundem vocat *virum ſanctiſſimum & ornatiſſimum ſuæ Civitatis.* [c] Vellejus vero Paterculus quantum ipſi de eloquentiæ laude demit tantum Juris Cognitioni adjicit, dum ita loquitur: *Mutius juris ſcientia, quam propriæ eloquentiæ nomine Celebrior fuit.* [d] Ab aliis quoque numeratur inter veteres juris Magiſtros, qui ſapientes appellati ſunt: [e] certe antiquiſſimus eſt omnium Juriſconſultorum, qui in indice Pandectis præfixo recenſentur, & quorum lucubrationibus uſi ſunt compilatores, reliqui enim Juriſconſulti anteriores à Pomponio aliiſque nominantur tantum, ac hujus verba in Pandectis ſuis legi voluit Imperator. Vocat autem in loco præcitato hunc noſtrum Collegam & æqualem ſuum Craſſus, omnes enim Magiſtratus ſimul geſſerunt, excepta cenſura quam Scævolarum nemo petiit, & tribunatu quem anno poſt

a *Cic. de Orat. lib. 1.*

b *Cic. in Bruto.*

c *Cic. pro Sext. Roſc. Am.*

d *Vell. lib. 2.*

e *Agell. lib. 4. c. 1.*

f *Cic. in Br.* Crassum administravit. f Consul itaque fuisse reperitur anno urbis 658. fuit & Pontifex Maximus, quod cum ex multis aliis, tum ex hoc Ciceronis loco apparet; *Quintus Scævola Pont. Max. summam vim esse dicebat in omnibus iis arbitriis, in quibus adderetur ex bona Fide.* g Proconsul Asiam Provinciam habuit, quam tam sanctè rexit, ut aliis in eam Provinciam proficiscentibus pro Exemplo propositus fuerit, quare & Asiatici festum ei quoddam condiderunt, cui mutia nomen erat, ut hinc discimus: *At ne Q. quidem Scævolæ quem, L. Crassus in consulatu collegam habuit, gloria parum illustris: qui Asiam tam sanctè & tam fortiter obtinuit, ut Senatus in eam Provinciam ituris Magistratibus, exemplum, atque formam officii Scævolam decreto suo proponeret.* h Et ex hoc loco. *Q. Mutius Asiam singulariter rexerat: adeo ut dies Festus à Græcis in honorem ejus constitueretur, qui diceretur Mutia.* i Tandem vir Sanctissimus, ornamentum sæculi sui, turbulentis Reipubl: interna seditione temporibus, dum paci operam navat, jussu Fimbriæ interemtus est, cadavere in flumen abjecto: idque loca sequentia palam faciunt. *Quo Pop: Rom: nihil vidit indignius nisi ejus viri mortem, quæ tantum potuit, ut omnes cives suos perdiderit & afflixerit, quos quia servare per compositionem volebat, ipse ab iis interemtus est.* k Neque hoc loco insignis Fimbriæ impudentia ne dicam insania silentio præteriri potest, qui Scævolam vulneratum in judicium voluit vocare, accusaturus eum quod non totum telum corpore recepisset, ut ibidem Cicero narrat. Eadem de re sic in impressis Codicibus Vellejus, *Damasippus Domitium Scævolam Pontificem Maximum, & divini humanique juris autorem celeberrimum, in Curia Hostilia Trucidavit, velut faventem Syllæ*

g *Cic. de leg. lib. 2.*

h *Val. Max. lib. 8. c. 14.*

i *Ascon. in 3. inven.*

k *Cic. pro Rosc: Amer:*

Syllæ partibus. [l] *Quem locum procul dubio corruptum (neque enim Scævolæ huic Domitio nomen fuit)* nos levi interpunctione ita sanavimus, *Damasippus Prætor Domitium Scævolam etiam Pont: Max:* &c. trucidavit notum enim est ex historia Romana L. Domitium è Senatu fugientem, Scævolam vero paulo, ante quam haberetur Senatus, fuisse jussu Marii interfectos, atque amborum corpora fluvio immersa. [m] Interitum Scævolæ nostri ita describit Lucanus, quem & emendavit & explicavit Frater in notis suis.

Te quoque neglectum violatæ Scævola dextræ
Ante ipsum penetrale Deæ, semperque calentes
Mactavere focos: parvum sed fessa senectus
Sanguinis effudit jugulo flammisque pepercit.

Judicans eum, quia à Mario ad manus osculum admissus non erat, in templo Vestæ cæsum fuisse, quod & alii tradunt auctores. [n] Huic Jurisconsulto acceptam ferre debemus cautionem Mutianam, cujus in jure frequens occurrit mentio, itemque jusjurandum, quod in arrogando interponeretur, & alia nonnulla. [o] Descripsit autem Mutius noster librum singularem ὅρων sive definitionum ut ex indice Pandectis præfixo patet, & ex variis Pandectarum locis ex hoc libro desumtis. [p] Ex quorum inspectione discimus illum, hoc libro magis axiomata & regulas juris generales quam definitiones propriè dictas tractasse. Scripsit præterea libros de jure civili octodecim, teste Pomponio, aliisque autoribus, qui decimi quarti & decimi sexti meminerunt. [q] Notavit ad Mutium Servius Sulpitius, *hinc Servius in reprehensis Mutii Capitibus* citatur. [r] Itemque Jurisconsultus Pomponius. [s] Et Modestinus ad eundem scrip-

[l] *Vell. Patec. lib. 2.*

[m] *App. de Bell. Civil. lib. 1. Violentæ. H. Grot. ad Lucanum. lib: vs. 126. & seqq.*

[n] *Flor. lib. 3. c. 21. August. de Civit. Dei lib. 3. c. 28.*

[o] *Agel. lib. 5. c. 19. lib. 3. c. 2. lib. 4. c. 1. lib. 17. c. 7. Fest. in verbo: nefrendes.*

[p] *L. 64. de acqu. rer. Dom. l. 8. de aq. quot. & æst. l. 241. de Verb. Sign. l. 73. de Reg. Jur.*

[q] *L. 30. pro Socio. Agel. lib. 7. c. 15.*

[r] *L. 3. §. 6. de Penu Leg. Agel lib. 4. c. 1.*

[s] *L. 39. ad leg. Aquil: 40. de act. emt:*

t L. 53: 54. de acq. rer. Dom. fit, & Lælius Felix librum, quem notas quoque aliquas continuisse probabile est. t

u Agel. lib. 15. c. 27. *Cajus Aquilius Gallus* eques Romanus à Q. Mutio Pontifice jus civile didicit, cumque acutus & exercitatus esset, promptam & paratam in agendo & respondendo celeritatem consecutus est, x atque eo pacto maximæ apud populum Rom. in judiciis & rebus Forensibus fuit autoritatis Teste Pomponio: quod & ex nobili hoc Ciceronis loco discimus. *Quapropter hoc dicam nunquam ejus auctoritatem nimium valere, cujus prudentiam Pop. Rom. in cavendo non in decipiendo perspexerit qui juris Civilis rationem nunquam ab æquitate sejunxerit, qui tot annos ingenium, laborem, fidem suam populo Rom: promptam, expositamque præbuerit. Qui ita justus & bonus vir est ut natura, non disciplina Consultus esse videatur: ita peritus ac prudens, ut ex jure Civili, non scientia solum quædam, verum etiam bonitas, nata videatur, cujus tantum est ingenium, ita prompta fides, ut quicquid inde haurias, purum liquidumque te haurire sentias.* y Fuit autem hic Jurisconsultus, in juris quæstionibus exercitatissimus, nam quæstiones facti à se ad oratores ablegabat. quod Cicero his verbis narrat: *Nihil hoc ad jus, ad Ciceronem inquibat Gallus noster, si quis ad eum quid tale retulerat, ut de facto quæreretur.* z Ab hoc maximo viro in juris disciplina fuit instructus Servius Sulpitius, ut scriptum reliquit Pomponius, cujus locum male emendare conatur Bertrandus: nam quod ille ait artis oratoriæ causa Servium Aquilio & Balbo operam dedisse, id ipse Ciceronis, quem adduxi, locus, abunde refellit, laudat enim Cicero Aquilium à promptitudine in agendo & respondendo, itemque Balbum à considerata tarditate in utraque re: quæ laus Jurisconsulti non Oratoris propria

x Cic. in Br.

y Cic. Orat. pro Quin.

z Cic. in Topicis.

pria est. Potius igitur in Cicerone vitium subesse suspicabimur, dum ait Servium dicendi causa ad Aquilium & Balbum accessisse (nusquam enim facundiam Aquilio tribui videmus) locumque integrum ita legi debere: *Cumque discendi (supple juris) causa duobus peritissimis operam dedisset L. Lucilio Balbo, C. Aquilio Gallo, Galli hominis Acuti & exercitati, promptam & paratam in agendo & in respondendo celeritatem subtilitate, diligentiaque superavit. Balbi docti & eruditi hominis in utraque re consideratam tarditatem vicit, expediendis conficiendisque rebus: sic & habet quod uterque eorum habuit, & explevit, quod utrique defuit.* [a] Sed redeundo ad Jurisconsultum nostrum, mirum forte cuipiam videri posset, quod tantus vir consulatum nunquam gesserit, verum is cogitet oportet, magnum eum munus respondendi sustinuisse, cujus gratia consulatum nunquam petiit. Præturam certe circa annum 687. attigit, quo tempore quæstiones de ambitu exercebat, Cicerone de pecuniis repetundis jus dicente. [b] Hinc eum Collegam suum appellat Cicero hoc loco, *Solebat Aquilius Collega & familiaris meus, cum de littoribus ageretur, quæ omnia publica esse vultis, quærentibus iis ad quos id pertinebat, quid esset littus, ita definire, qua fluctus eluderet.* [c] Hujus viri justitiam & religionem ex hoc memorabili exemplo licet cognoscere, cum enim C. Varro morbo correptus Otaciliæ stupro sibi cognitæ syngrapham dedisset trecentorum millium summam continentem, atque illa Varrone ad sanitatem perducto, eos nummos sibi persolvi petiisset, C. Aquilius prudentia & religione sua mulierem reppulit. [d] Inhabitavit porro hic noster domum longe pulcherrimam, quæ & ipsa claritudinem aliquam Domino attulit. [e] Multa injure civili aut explicavit aut constituit, quæ passim

a *Cic. in Br.*

b *Cic. in Orat. pro A. Cluentio.*

c *Cic. in Top.*

d *Val. Max. lib. 8. c. 2.*

e *Plin. lib. 17. c. 1.*

passim legenti occurrunt: ad prius genus pertinent quæ de rutis & cæsis, itemque de servitute oneris ferendi respondisse comperitur: [f] Posterioris generis est quod eum formulam de dolo malo (*everriculum omnium malitiarum*) in usum introduxisse constat; [g] quod formulam de instituendis posthumis nepotibus primus repperit. [h] quod Aquilianæ stipulationis, per quam debiti liberatio inducitur, auctor est. [i] Denique & ejus est ista frumenti definitio, qua id esse frumentum dicitur, quod arista se teneat. [k] Recte autem notat Bertrandus legem Aquiliam ab hoc nostro Jurisconsulto non fuisse latam, idque solidis convincit argumentis.

f. *L.* 17. §. 6. *de act. empt. l.* 6. §. 2. *Si serv. vind.*
g *Cic. de Off.* 3.
h *L.* 29. *de lib. & post.*
i *L.* 18. §. 1. *de accept.l.*
k *L.* 77. *de Verb. Sign.*

L. Lucilius Balbus, ita enim à Cicerone hic Jurisconsultus appellatur, Servium Sulpitium instituit, fuitque doctus homo & eruditus, ideoque in agendo & respondendo considerate tardus, ut ex loco citato patet. [l] Scripsit varia, quæ iniquitas temporum obliteravit, præsertim postquam & pleraque ex iis in sua scripta transtulisset [m] Servius. Est hic diversus à *Q. Lucilio Balbo* stoico, quem in libris de natura Deorum Cicero loquentem facit, forte hujus nostri fratre, quod discrimen à Rutilio non animadversum miror. Vixit & alius circa hæc tempora Balbus, Publius nomine & ipse Jurisconsultus, ut hic Ciceronis locus indicat: *Quis P. Octavio Balbo ingenio prudentior, jure peritior, fide, religione, officio, diligentior aut sanctior commemorari potest?* [n] Itemque L. Octavius Balbus eisdem præcellens artibus, qui ab eodem Cicerone alibi nominatur.

l *Cic. in Br.*
m *Pomp. l.* 2. *de Orig. Jur.*
n *Cic. pro Cluentio.*

Sextus Papyrius, fuit etiam unus ex præcipuis Mutii auditoribus, qui & aliqua in jure civili reliquit monumenta; sed ea Servius in suos libros traduxit, atque ita hujus Jurisconsulti memoriam conservavit.

Cajus

Cajus Juventius; & hic teste Pomponio fuit inter Q Mutii auditores scientia juris celebris: eumque puto à Cicerone Titum vocari in hoc loco. o *In eodem genere causarum* (privato nimirum) *multum erat T juventius nimis ille quidem lentus in dicendo & pœne frigidus, sed & callidus, & in capiendo adversario versutus, & præterea nec indoctus, & magna cum juris civilis intelligentia.* Certe temporum ratio hunc eum esse ostendit, cujus Cicero mentionem facit, addit eum Orbium æqualem suum, eo magistro usum. Male autem Bertrandus putat hujus nostri juventii mentionem fieri ab Ulpiano: p neque enim hujus Jurisconsulti scripta ad Ulpiani tempora pervenerunt, & potest iste locus commodè de juventio Celso accipi, præsertim cum Proculi opinio illic referatur, cui juventius aliquid superaddidit, quemadmodum legentibus fiet manifestum.

o Cic. in Brut.

p L. 12. §. 1. de usu & habit.

CAP. IX.

M. Bucculejus: C. Aculeo: Longus: Ciceronis locus emaculatur: C. Fimbria: C. Bilienus: Q. Lucretius Vespillo: M. Lucullus, deque eo Ciceronis locus dispunctus: P. Orbius: C. Visellius Varro: Appius Claudius: Titus Posthumius: Cn. Anfidius: Itemque Titus, & Rutilii hac in parte error: aliquot Jurisconsulti ignobiles coacervati. M. Tullius Cicero, ejusque locus ab interpretatione Bertrandi vindicatus & explicatus: hæres an furti agere possit. Ælius Gallus: emendatur Agellius: Rivallii & Rutilii error. Granius Flaccus: Blæsus: de Junio Gracchano error Bertrandi: S. Sulpitius Galba: proverbium.

ANtequam ad servium Sulpitium ejusque auditores accedimus non male facturi videmur, si hoc loco Jurisconsultorum aliquot à Pomp: præteritorum catalogum,

gum, qui fere circa hæc tempora, vixerunt, subtexuerimus: inter eos locum aliquem meretur.

M. Bucculejus L. Crassi oratoris familiaris, *Homo neque Crassi judicio stultus & suo valde sapiens, & à juris studio non abhorrens*, hunc narrat Cicero à C. Fusio, qui ædes ejus emens, lumina uti tum essent, ita receperat, judicio conventum, simulatque in aliqua urbis parte quæ ex ædibus istis Conspici posset ædificaretur. [a]

a Cic. de Orat. 1.

C. Aculeo eques Romanus vixit eodem tempore & materteram Ciceronis in matrimonio habuit. *Is ita tenebat jus civile uti cum ab hoc discessisses, nemo de iis qui peritissimi sunt anteponeretur*; [b] filium Varronem habuit, & ipsum juris peritum, de quo infra.

b Cic. ibid.

Longus sive ut alii volunt *Longinus* fuit eodem tempore familiaris Antonii cognitione juris & aliis bonis artibus instructus, de quo sic eum loqui facit Cic. *Historiam & prudentiam juris publici antiquitatis item & exemplorum copiam, si quando opus erit à viro optimo, & istis rebus instructissimo familiari meo Longo mutuabor:* [c] ita eum locum nos emendavimus, cum antea legeretur, *& antiquitatis iter & exemplorum copiam*: quid enim illud est, antiquitatis iter? aut quis bonorum auctorum ita loquitur?

c Cic. ibid.

C. Fimbria temporibus Gracchanis vixit, sed longius ætate provectus est, quem Cicero vocat tolerabilem patronum, nec rudem in jure Civili, & cum virtute tum etiam ipse orationis genere, liberum; cujus orationes se puerum legisse testatur. [d] Forte is idem est, quem alibi narrat judicem datum super sponsione, *Ni Pythias vir bonus esset*, noluisse illam litem dijudicare. [e]

d Cic. in Br.

e Cic. de off. 3.

C. Bilienus in jure magnus evasit, & Consul factus esset, nisi in Marianos Consulatus, & in eas petitionis angustias incidisset. [f]

f Cic. in Br.

Q. Lu-

Q. Lucretius Vespillo Ciceroni dicto libro acutus & jurisperitus dicitur, & is privatis causis dicendis exercitatus.

M. Lucullus, fuit hoc etiam ævo juris publici privatique bene peritus, ut ex hoc Ciceronis loco discimus quem totum exscribam, indiget enim emendatione. *M. Drusum tuum magnum avunculum, gravem oratorem ita duntaxat cum de Rep. diceret, L. autem Lucullum etiam acutum, patremque tuum Brute, juris quoque & Publici & privati sane peritum, M. Lucullum, M. Octavum Cn. Filium &c. abducamus ex acie id est à judiciis, & in præsidiis Reip. cui facile satisfacere possint collocemus:* [g] Ita nos hunc locum, emendavimus, cum antea scientia juris tribueretur patri Junioris Bruti, verborum serie id vix permittente, intelligit autem Cicero M. Lucullum fratrem Lucii, aliquoties à Plutarcho in ejus vita memoratum. [g] *Cic. in Brut.*

P. Orbius, Ciceronis fere æqualis fuit auditor T. Juventii, cujus supra mentio à nobis facta est, in dicendo non nimis exercitatus, jure autem Civili non inferior quam magister fuit: [h] unde non immerito Jurisconsultis ejus sæculi annumeratur. [h] *Cic. ibid.*

C. Visellius Varro, Filius Aculeonis supra relati, ædilis Curulis fuit: populo vero non utique placebat, erat enim ejus oratio præceps & obscura: sed neque *verbis aptiorem cito aliquem dixerim* (ait Cicero) *neque sententiis crebriorem præterea perfectus in litteris, jurisque Civilis jam à patre Aculeone traditam tenuit disciplinam* [i] videtur hic Visellius Varro cum Otacilia Lateranensi commercium libidinis habuisse, eique eam ob causam trecenta millia nummorum expensa, tulisse. [k] Fuit & alius Visellius Varro temporibus Tiberii Consul ut ex Tacito videre est. [i] *Cic. ibid.* [k] *Val. Max. lib. 8. c. 2.*

Appius Claudius ſocer Bruti, Collega & familiaris Ciceronis fuit, *& cum auguralis, tum omnis publici juris antiquitatiſque Rom. bene peritus*, teſte eodem Ciceron. [l]

l *Cic. in Br.*

Titus Poſthumius Ciceronis ætate non contemnendus in dicendo, neque minus vehemens orator quam bellator fuit: is bene juris publici leges atque inſtituta cognoverat. [m]

m *Cic. in Br.*

Cn. Anfidius à Rutilio inter hujus ævi Juriſconſultos recenſetur, quamquam nullo certo argumento: meminit ejus Cic. his verbis. [n] *Pueris nobis Cn. Anfidius prætorius & in Senatu Sententiam dicebat, nec amicis deliberantibus deërat, & Græcam ſcribebat hiſtoriam, & videbat in litteris*, cum tamen cæcus eſſet ut ex contextu colligitur. Idem certe & alibi Anfidii mentionem facit, *Nam T. Anfidius qui vixit ad ſummam ſenectutem volebat eſſe ſimilis horum* (nempe T. Juventii & P. Orbii) *eratque & bonus vir & innocens, ſed dicebat parum.* [o] Ex quibus locis quomodo quod intendit Rutilius confici poſſit non video; nam in priore loco Cicero laudem Juriſconſulti Cn. Anfidio non tribuit & in ſecundo exſertè Titum non Cneum Anfidium nominat, imo nec eum juris ſcientia excelluiſſe dicit, ſed ſimilem duobus Juriſconſultis eſſe voluiſſe, cum eſſet vir bonus & innocens.

n *Cic. lib. 5. Tuſcul. quæſt.*

o *Cic. in Br.*

Certe L. Valerius Cic. Ep. Fam. lib. 1. Ep. ult. ab hoc ordine non omnino eſt removendus, ut ex hoc loco videre eſt *L. Valerium Juriſconſultum tibi commendo, ſed ita etiam ſi non eſt Juriſconſultus: melius enim ei cavere volo quam ipſe aliis ſolet.* Cic. Fam. Ep. lib. 3. Ep. 1.

P. Quintilius.

M. Marcellus.

P. Conſa,

ab

ab eodem Rutilio in Juriſconſultorum qui hac ætate floruerunt catalogum referuntur : Quam rectè ipſe viderit, nam locos Ciceronis, quos reſpexerit more ſuo ſuppreſſit, & nobis necdum occurrit aliquod Ciceronis teſtimonium, quo idonèe confirmari poſſit ejus ſententia.

Conſam certe non tam Juriſconſultum fuiſſe quam Juriſconſulti nomen impudenter ſibi uſurpaſſe, oſtendit iſte Ciceronis in eum jocus, cum, enim in judicio de re quadam teſtimonium præbiturus interrogaretur, negaſſetque ſe quicquam ſcire, tum Cicero *Fortaſſe de jure interrogari te putas.* p

p

M. Tullius M. F. M. N. Cicero, oratorum Princeps, quin inter hujus ætatis Juriſconſultos numerari debeat nemini dubium eſſe poteſt, qui hæc ejus verba legerit, *Ego autem Juris Civilis ſtudio multum operæ dabam Qn. Scævolæ P. filio, qui quamquam nemini, ſe ad docendum dabat, tamen conſulentibus reſpondendo ſtudioſos audiendi docebat,* q & alibi *ſi mihi homini vehementer occupato ſtomachum moveritis, triduo me Juriſconſultum eſſe profitebor.* r Patet tamen aliunde eum diligenter ſcripta veterum Juriſconſultorum evolviſſe, cum enim in convivio Cicero dixiſſet controverſiam eſſe, *poſſet ne Hæres quod furtum antea factum eſſet rectè furti agere*, Trebatio illudente & certi illud juris eſſe contendente; Cicero ei caput in quo illa controverſia erat, deſcriptum miſit, *ut ſcires*, inquit *id quod tu neminem ſenſiſſe dicebas Sext. Ælium. M. Manilium. M. Brutum ſenſiſſe ego autem Scævolæ & Teſtæ aſſentior.* f Ex his verbis clarum fit Trebatium negaſſe ullam hac de quæſtione inter Juriſconſultos opinionum eſſe diſcrepantium, aut eam ſententiam quæ hæredi id non permitteret, ab ullo alicujus nominis Juriſconſul-

q *Cic. in Br.*

r *Cic. pro Mur.*

f *Cic. Ep. fam. lib. 7. Ep. 22.*

to fuisse defensam atque ideo illusisse Ciceroni ut in aperto jure scrupulos quærenti: illum vero adductis, Ælii, Manilii, Bruti auctoritatibus comprobasse eos in contraria fuisse sententia, se vero Scævolæ & Trebatio Testæ, sanioris opinionis auctoribus, assentiri. Quæ omnia Bertrandus in vita Trebatii interpretatione sua pervertit, accusans Trebatium vanæ gloriæ, quod neminem præter se id sensisse profiteretur, quæ plerique anteriores scripserant, qui sensus superiori loco convenire minimè potest: Certe posteriores Jurisconsultos in Trebatii quoque sententia resedisse, ex quibusdam Pandectarum locis colligi potest. [t]

t *L.* 41. §. *l. de furtis* *l.* 47. *ibid.*

Non absimilis inter Jurisconsultos (ut & hoc obiter addam) veteres quæstio mota est, ex his legis Atiniæ verbis *Quod surreptum erit ejus rei æterna auctoritas esto*, utrumne in post facta modo furta lex valeret, an etiam in antefacta, ut ex Agellio discimus. [u] Scripsit Cicero præterea librum de jure civili in artem redigendo, ex quo aliqua verba citantur: [x] unde quantos in jure progressus fecerit, abunde liquet, nemo enim de methodo in jure civili observanda Commentarium scribere potuit, nisi qui eam scientiam haberet percognitam. Denique & Jurisconsulti ipsi Ciceronis auctoritate, in definitione eorum, quæ ad jus pertinent, uti non recusarunt, exemplo sit Celsus sic loquens *Littus est quousque maximus fluctus à mari pervenit idque M. Tullium ajunt, cum arbiter esset, primum constituisse.* [y] Aliquando & reprehendisse eum reperiuntur [z]: quo magis mihi mirum fit, Rutilium curiosum sane judigatorem, eorum qui jurisprudentiam illustraverunt, hujus tanti viri ut Jurisconsulti mentionem non fecisse. Plura ad Ciceronis vitam pertinentia non addam, ne actum agam, possunt enim illa ex Plutarcho, aliisque

u *Agel. lib.* 17. *c.* 7.

x *Agel. lib.* 1. *c.* 22.

y *L.* 96. *de Verb. Sign.* *l.* 39. *de Pœnis.*

z *L.* 7. §. 7. *quibus ex cauſ. in poſſ.*

aliisque auctoribus, minimâ operâ colligi.

Ælius Gallus ætate Varronis & Ciceronis vixit ac *Doctissimus eorum temporum fuisse traditur.* [a] Scripsit autem librum de verborum, quæ ad jus civile pertinent significatione, ex quo locus unus in Pandectas relatus est. [b] Meminit & secundi de verborum significatione, quæ ad jus civile pertinent Agellius, [c] sed enim corrupto procul dubio codice Cæcilium Gallum vocat, cujus errorem & Macrobius exscriptor ejus secutus est. [d] Nam ab Agellio loco jam citato, itemque à Varrone, Sexto Pompejo, & Jurisconsulto quoque Gajo, [e] constanter Ælius Gallus vocatur, varias ejus definitiones affert Festus in verbis *Postliminium*, *Reus*, *Saltum*, *Sacer*, *Torrens*, & alibi quas nos brevitatis ergo omittimus. Illud omitti non debet, alium esse hunc Ælium Gallum ab ejusdem nominis equite, quem ab Augusto in Arabiam missum legimus: [f] id enim temporum ratio manifeste evincit. Diversus quoque est à Jurisconsulto Cæcilio quod male negavit Rivallius atque immerito subdubitavit Rutilius: ut ex infra dicendis latius patebit.

Granius Flaccus Licinianus videtur iisdem fere temporibus floruisse. Putabam aliquando legendum *Verrius Flaccus*, ut denotaretur ille cujus cum Festo Pompejo. Fragmenta hodieque extant, cujusque vitam inter illustres Grammaticos legimus: sed postquam Granium Lucinianum in Macrobio, [g] & Granium Flaccum Varroni junctum repperi, non dubito amplius quin hic noster ita dictus sit, præsertim cum Festum Pompejum Granii meminisse aliquot in locis constet. [h] Est autem hic Granius eo nomine Jurisconsultis accensendus, quod librum de Papyriano scripsit. [i] Cujus juris elegans lacinia apud Macrobium extat. [k]

Blæsus

a *Agel. lib. 10. c. 22.*

b *L. 157. de Verb. Sign.*

c *Agel. lib. 16. c. 5.*

d *Macrob. lib. 6. Saturn.*

e *L. 19. de usur. & Fruct.*

f *Plin. lib. 6. c. 28.*

g *Macr. lib. 1. Saturn.*

h *Fest. in Verb. Rua & peremtalia.*

i *L. 144. de Verb. Seig.*

k *Macr. lib. 3 Saturn.*

Blæsus quoque Juriſconſultus, incertum quo prænomine, hoc fere tempore vixiſſe videtur ſed quia ſemel tantum ejus in Pandectis fit mentio, [l] malo de eo ſilere quam hariolari: illud ex unico iſto loco non obſcure colligitur, fuiſſe hunc Blæſum ante Labeonem, & Trebatium audiviſſe.

l *L. 31. de Uſu & Uſufr. Legat.*

Obtrudit nobis Bertrandus circa hæc tempora Juriſconſultum *Junium Gracchanum*, qui de poteſtatibus libros ſeptem ſcripſiſſe ex Ulpiano deprehenditur. [m] Verum ex illo loco, meo quidem judicio non magis argui poteſt eum, fuiſſe Juriſconſultum, quam Feneſtellam, cujus auctoritate ibidem utitur Ulpianus, juris quoque ſcientiam habuiſſe. Ego ſane hunc Junium Hiſtoricum fuiſſe lubens agnoſco, tractavit enim quæſtionem hiſtoricam de prima Quæſtorum inſtitutione: in Juriſconſultorum vero catalogum recipiendum tantiſper nego, donec validioribus convincar argumentis.

m *L. 1. de Off. Quæſt.*

Servius Sulpitius Galba circa Ciceronis tempora, & paulo poſt eum ævo nimirum Auguſtæo vixit, & inter Juriſconſultos Commentatoris veteris in Horatium auctoritate reponitur: qui ad hunc verſum

Jure omnes, Galba negabat, [n]

n *Flor: lib. 1. Serm: Ecl. 2.*

Annotat eum Juriſperitum pro adulteris reſpondere ſolitum, cum ipſe magnus eſſet matronarum ſectator forte is fuit pater Imperatoris Galbæ quem Suetonius Conſulatu functum dicit, brevique corpore & gibboſum fuiſſe, & *modicæ indicendo facultatis, cauſas induſtriè actitaſſe* refert. [o] Accedit quod Imperator Galba, teſte eodem inter liberales diſciplinas attendit & juri, hæreditariæ nimirum patris ſcientiæ: ad hæc narrat Suetonius dicto loco, illum à Livia Occelina ultro fuiſſe

o *Suet. in Vita Galbæ.*

fuisse appetitum. *Et aliquanto enixius postquam subinde instanti, vitium corporis secreto posita veste detexit.* Neque enim illa gibbum solum respexit, sed alias quoque conditiones, quod intelligunt, qui illius temporis historiam habent perspectam varios jocos in gibbum Gallæ dictos apud auctores reperire est, ut illius *qui ingenium Galbæ male habitare* dixit, aliorumque qui à Rutilio colliguntur. Extat apud Festum proverbium, p rideo inquit *Galba Canteno*, in eos qui principio alicujus rei inchoatæ deficiunt animo: id à Sulpitio Galba, incertum cujus temporis, ortum, duxit, cum in provinciam exiturus equum lassitudine correptum animadvettisset.

p *Fest. in Verb: rideo.*

CAP. X.

Q. Cornelius Maximus, error Rutilii & Ant: Augustini: Serv: Sulpitius: defensa fides Pomp: in hac historia contra Ant: Augustinum, ejusque locus emendatur: de servio judicia: honores ab eo gesti: scripta ejus: de loco Festi disceptatio: C. Trebatius Vesta, Zasii de eo error: Ciceronis locus contra Bertrandum explicatus: erratum veteris commentatoris in Horatium: ejus scripta: Aulus Cascellius: emendatur & illustratur Pomp. locus, Cascellii Facetiæ & libertas: Bertrandi erratum, & commentatoris in Horat. Q. Cæsellius prædiator.

Q. *Cornelius Maximus* ut ad Pomponium nostrum redeamus præceptor Trebatii Ciceronis quoque ætate floruit: hunc Pomp: quidem nominat, sed obiter, neque suo loco. Rutilius vero perperam P. Cornelium & Antonium Augustinum Cajum appellat. Fuit enim huic nostro Quinti prænomen, ut nos Cicero docet ita ad Trebatium scribens. *Hoc quemadmodum vos scribere soletis in vestris libris, idem Q. Cornelio*

lio videbatur. [a] Meminit ejusdem & alibi ad eundem verba faciens, dum ait; *Querar cum Vacerra & Manilio nam Cornelio nihil audeo dicere: cujus tu periculo stultus es quando te ab eo sapere didicisse profiteris.* [b] Consuluisse hunc Cornelium temporibus Servii Sulpitii, & ab Alfeno Varo prælatam Cornelii auctoritatem, ex hoc loco discimus, *vinea & instrumento ejus legato, instrumentum nihil esse Servius respondit, qui eum consulebat. Cornelium respondisse ajebat, palos, perticas rastros, ligones instrumenti vineæ esse quod verius est.* [c] Ut mirum sit verum in his literis versatissimum Antonium Augustinum contra Pomponii fidem Cornelium hunc nostrum Servii discipulum facere, cujus præceptor, sicuti Trebatii, esse potuit.

a *Cic. Epist. fam. lib. 7. Ep. 17.*

b *Cic. dict. lib. 7. Ep. fam. 8.*

c *L. 16. §. 1. de instrum: vel: instr.*

Servius Sulpitius. Q. F. Lemonia Rufus, ita eum Cicero, quia è tribu Lemonia erat, nominat, [d] fuit antiquæ nobilitatis, sed non minus vulgo cognitæ. Is maximo studio hoc effecit ut orator non è minimis evaderet, in jure vero civili longe omnium non ejusdem modo ætatis, sed anteriorum etiam Princeps esset. [e] Causam cur ad jus civile se applicaverit hanc fuisse narrat Pomp: quod cum Q. Mucium Scævolam Pont. Max. de re amici sui consuleret, neque responsum ejus perciperet, ab ipso objurgatus fuerit, cum diceret, turpe esse Patritio & nobili & causas oranti jus in quo versaretur ignorare: qua ille contumelia tactus, juris studio, sub Balbo Lucilio & Gallo Aquilii, operam dare incepit. Quæ Historia Immerito Antonio Augustino suspecta videtur cum tantummodo locus ille Pomp: levi vitio laboret: & argumentum est quod ita in quibusdam Codicibus legitur, *Servius cum in causis orandis primum locum aut pro certo post Marcum Tullium obtinere*, constructionis enim ratio postulat, ut

d *Cic. Philipp. 9.*

e *Cic. in Bruto.*

aliud

aliud verbum ſuperiorem ſententiam claudat, quam nos ſupplemus addendo vocem potuiſſet, ut ſenſus ſit eum primum locum, aut certe ſecundum ſi voluiſſet in oratoria facultate obtinere potuiſſe. Sed hæc adducto Ciceronis teſtimonio, quod procul dubio reſpexit Pomp: veriſimiliora fient; is ita hac de re loquitur. *Non enim facile quem dixerim plus ſtudii quam illum, & ad dicendum, & ad omnes bonarum rerum diſciplinas adhibuiſſe, nam & in iiſdem exercitationibus ineunte ætate fuimus, & poſtea Rhodum una ille etiam profectus eſt, quo melior eſſet & doctior, & inde ut rediit, videtur mihi in ſecunda arte primus eſſe maluiſſe quam inprima ſecundus. Atque haud ſcio an par principibus eſſe potuiſſet* [f] &c: Non obſtant itaque quæ Ant: Auguſtinus ad fidem Pomp. denegandam affert; nam quod ille ex Agellio [g] notat Ciceronem annos natum viginti & ſex Anno urbis 572. primam cauſam egiſſe, cum Mutius anno præcedente 571. eſſet interemtus, id noſtræ ſententiæ non officit: neque enim Pomp. dicit Servium jam tum principem aut certe ſecundum locum in oratoria arte obtinuiſſe cum Q. Mutium accederet, ſed ea fuiſſe diligentia, eo ingenio quantum ex exercitationibus privatis, & orationibus etiam publicè (ante Ciceronem) habitis, poterat deprehendi, ut nemini, aut certe ſoli Ciceroni ceſſurus videretur. Tantumque in eo valuiſſe viri maximi caſtigationem, ut ſe juri civili dederet: non ita tamen, ut artem oratoriam confeſtim abjiceret, niſi poſtquam à Rhodo, ubi à Poſidonio in Philoſophia & Cercina ubi in jure ab Aquilio erat inſtructus, rediiſſet. Attulit igitur Servius ad ornandum jus civile, ſtudia Philoſophiæ, litterarum, & artis quoque oratoriæ: atque ita præſtantiſſimum elogium à Cicerone meruit, *Sic Brute,*

[f] *Cic. dict. loc.*

[g] *Agel. lib. 15. c. 28.*

existimo juris civilis magnum usum, & apud Scævolam, & apud alios fuisse, artem in hoc uno quod nunquam effecisset ipsius juris scientia, nisi eam præterea didicisset artem, quæ doceret rem universam tribuere in partes &c. *Hic enim attulit hanc artem omnium artium maximam, quasi lucem, ad ea quæ confusè ab aliis aut respondebantur aut agebantur Dialecticam mihi videris dicere inquit* (Brutus) *recte, inquam, intelligis: sed adjuuxit etiam & literarum scientiam, & loquendi elegantiam, quæ ex scriptis ejus quorum similia nulla sunt, facillimè perspici potest.* [h] Idem & aliorum de hoc viro judicium est, nam sic Agellius, *Servius Sulpitius juris civilis auctor, vir bene litteratus scripsit ad M. Varronem rogavitque ut scriveret, quid verbum Faviæ significaret.* [i] Honores gessit Servius multos, nam Quæstor Provinciam Ostiensem sortitus est: Prætor quoque quæstionem peculatus severè exercuit, quo tempore scriba damnatus, ordo totus alienus, Syllana gratificatio reprehensa, & multi offensi fuerunt, ipse vero in Provinciam ire noluit. [k] Consulatum petens repulsam tulit à L. Muræna superatus, quem deinde ambitus accusavit: tandem vero anno 702. cum M. Claudio Marcello eam dignitatem consecutus est, prælatus ipse M. Catoni competitori: [l] quo tempore bellum inter Cæsarem & Pompejum exarsit, quod ille quantum in se fuit, impedire conatus est, & omnia sua ad concordiam direxit consilia. Fuit & interrex anno ante consulatum suum, & Cn. Pompejum Consulem sine Collega renuntiavit. [m] Postea cum interfecto Cæsare M. Antonius bellum moliretur, ad illum ex Jurisconsulto legatus missus est, neque enim laborem quamvis valetudine ingravescente recusavit, atque ita prope Castra Antonii expiravit: quam ob causam Cicero

h *Cic. dict. loc.*

i *Agel. lib. 2. c. 10.*

k *Cic. orat. pro Muræn.*

l *Epit. Liv. Dec. 11. lib. 8.*

m *Plut. in vita Pomp.*

Cicero ei ſtatuam pedeſtrem ponendam cenſuit, [n] & exquiſita oratione ipſum multis laudibus cumulavit, quas referre longum eſſet, denique & Senatus ejus ſententiam comprobavit: plura de vita hujus præſtantiſſimi Juriſconſulti apud Rutilium fuſe eam proſequentem reperire eſt. Reliquit autem teſte Pomp: prope centum & octoginta libros: è quibus horum tantum nomina ad ætatem noſtram pervenerunt, imprimis fecit notas ad Q. Mutii Scævolæ ſcripta, quæ reprehenſa Scævolæ capita à nonnullis appellantur. [o] Item de dotibus librum ſingularem ab Agellio & Juriſconſulto Neratio commemoratum. [p] Scripſit & de Teſtamentis libros duos ut ex eodem Agellio diſcimus: [q] neque enim viro longe maximo ſatis poſſum accedere qui in ſuis ad Feſtum notis titulum eum mutat & *de Deteſtandis Sacris* ex Codicum ..... fide inſcribendum putat: proprie enim Etymologia vocis *Teſtamentum*, quam illic refert auctor; ad Teſtamentariam materiam pertinet. Præterea ad edictum libros duos compoſuit, quos ad Brutum inſcripſit, [r] id eſt ut nos interpretamur ad Brutum veterem illum Juriſconſultum in iis libris quædam notavit: niſi quis malit ea ad Brutum (illum Cæſaris interfectorem) ſcripta fuiſſe quemadmodum Ciceronis Topica ad Trebatium. Reſponſa quoque ejus plurima paſſim commemorantur, præſertim ab Alfeno & Mela. [f] Præterea ſcripſiſſe eum & carmina, laſciva ſane, ex Ovidio diſcimus,

Nec minus Hortenſi, nec ſunt minus improba Servi
Carmina, quis dubitet nomina tanta ſequi? [t]

quo ſolo genere exercitationis uſum teſtantur & alii: [u] ſcripſit & orationes è quibus omnino tres Quintiliani tem-

n *Cic. Philipp. 9.*

o *L. 30. pro ſocio. l. 3. §. 6. de penu leg. Agell. lib. 4. c. 4.*

p *L. 8. de Cond. Cauſ. dat. Agel. lib. 4. c. 3. 4.*

q *Agel. lib. 6. c. 12.*

r *Pom. ad l. 2.*

f *L. 21. de neg. geſt. l. 3. §. 10. de penu. leg.*

t *Ovid. lib. 2. Triſt.*

u *Plin. Jun. lib. 5. Epiſt. ad Ariſt: Quintil. lib. 10. c. 5.*

tempore Doctorum manibus terebantur: [x] quarum unam contra Aufidiam defendente eam Messala actam constat. Denique & ejus quædam commentatio extitit, quamobrem mensa relinquenda non sit. [y] quod vero de libro de claris Jurisconsultis. Servio composito tradit Zasius, id jam ante nos à Rutilio confutatum est.

x *Quint. lib. 10. c. fin. & lib. 10. c. 1. & lib. 4. c. 1.*

y *Plin. lib. 24. c. 2.*

C. Trebatius Testa. Q Cornelii maximi in jure discipulus præceptor vero Labeonis id est ad quem Cicero sua Topica misit: homo ingenii non inficeti, quod Ciceronis ad eum Epistolæ lepidæ ac festivæ abundè testantur ad quem adolescens sese contulerat. Fuisse videtur tenuis admodum fortunæ, nam Cicero eum divitias à Cæsare speraſſe non obscurè innuit. [z] Hic cum ad familiaritatem Cæsaris Ciceronis commendatione esset admissus, primo desiderium urbis & amicorum ferre non potuit: paulatim tamen & Cæsaris benevolentia, à quo Tribunatus commoda dempto labore militiæ erat consecutus, & Ciceronis hortatu, in castris substitit. [a] Postea vero cum bellum civile incrudesceret partes Cæsaris semper bona fide secutus est, ipsumque Ciceronem monere non destitit, ut vel ei se conjungeret, vel in Græciam proficisceretur. [b] Ut mirum videri possit Zasium scribere, Trebatium Pompejanarum fuisse partium, & Ciceronis interventu in gratiam receptum: sed hæc jam Rutilius diluit. Idem certe Julio Cæsari auctor fuit ut Patribus conscriptis assurgeret, quam salutarem ejus admonitionem ille indignè tulit, ut his verbis narrat Suetonius. *Adeuntes se cum plurimis honorificentissimisque decretis universos Patres Conscriptos, sedens pro Æde Veneris genitricis excepit. Quidam putant retentum à Cornelio Balbo cum conaretur assurgere: alii ne conatum quidem omnino,*

z *Cic. Ep. fam. lib. 7. Ep. 16.*

a *Ibid. Ep. 6.*

b *Plut. in vita Cic.*

no, sed etiam admonentem C. Trebatium ut assurgeret, minus familiari vultu respexisse: [c] hæc res non minimam conjuratis occasionem dedit, illud quod animo agitabant perficiendi. De hoc nostro Trebatio egregium hoc Ciceronis testimonium, referre non pigebit, præsertim cum id vitiosa interpunctione & exinde interpretatione à Bertrando depravetur: *Sed more Romano quo homines non inepti loquuntur, probiorem hominem, meliorem virum prudentiorem esse neminem: accedit etiam quod familiam ducit in jure civili singularis memoria, summa scientia*: nimirum hoc vult præter prudentiæ & probitatis laudem accedere & illud quod inter præcipua numerandum est, singularem in jure memoriam, neque minorem scientiam. Male igitur *Bertrandus legit quod familiam ducit in jure civili.* Id est multos sectatores habet; quia tunc illa verba, *singularis memoria, summa scientia*, non satis aptè cohærerent, neque ullam perficerent sententiam. Ad hunc scripta est elegantissima Horatii Satyra. [d] *Sunt quibus in Satyra videor nimis acer* &c: in quâ verba, *nisi quid tu docte Trebati, dissentis*: & alia quædam ex jure civili petita: unde & patet eum tunc temporis majorem natu fuisse, dum ait Poëta,

Cupidum Pater optime vires
Deficiunt.

Is quam plurimos scripsit libros, sed qui minus frequentarentur: inter quos aliquot fuerunt de jure civili, de religionibus vero novem, ut ex his Horatiani Commentatoris ad dictum locum verbis apparet: Hic *Trebatius eques Romanus, juris peritus fuit, qui & aliquos libros de jure civili, & de religionibus novem composuit.* Sed mirum cur eum Aulum Trebatium appellet

[c] *Suet. in Julii vita.*

[d] *Hor. lib. 2. Sat. 1.*

pellet Commentator, contra Ciceronis aliorumque fidem. Idem & sæpe consuluit cum Ofilio, Labeone, Cascellio, aut aliquo ex iis: [e] & prætoris quoddam interdictum, *ne vis fieret dominis quo minus sua tollerent* nobis conservavit. [f] Grammaticorum regulas neglexisse videtur, nam scripsisse legitur vocem sacelli esse duplicem & à sacro & cella derivatam. [g] Denique hic noster & apud Augustum in summa fuit gratia, eique receptionem codicillorum suasit. [h]

Aulus Cascellius, cum æqualis esset Trebatio & Ofilio utrosque eloquentia superavit. Præceptore usus est primum Q. Mutio Scævola, & deinde Volusio sive (ut Plinius eum vocat) Volcatio: utrumque testatur Pomponius, quem ita cum Bertrando emendandum putamus. *Fuit eodem tempore Aulus Cascellius Quinti Mucii & Volcatii auditor: denique in illius honorem P. Mucium nepotem ejus reliquit hæredem.* [i] Posterius etiam patet ex hoc Plinii loco. *Apud nos Volcatium nobilem, qui Cæscellium* (alii legunt *Cæsellium*) *jus civile docuit, asturcone è suburbano redeuntem cum advesperavisset, canis à grassatoribus defendit.* [k] Quare eorum opinionem probare non possum, qui in dicto Pomp: loco *Q. Mutii Volusii* legunt cum ob Plinii auctoritatem, tum quia Pomp: in illius (nimirum Mucii) honorem nepotem à Cascellio hæredem scriptum ait: notum enim est pronomen *ille* ad prius membrum solerè referri. Denique quis unquam fando audivit aliquem ex Mutiorum familia Volusii cognomen habuissè: cum etiam nepos Volusii potius P: Mutius, quam Volusius appellaretur? Cur Plinius Volcatium nominans eum nobilem simpliciter dixisset, nulla Mutiæ Familiæ Patritiæ facta mentione? Accedit quod Cascellium ad summam senectutem venisse constat, itaque lon-

[e] *L. 39. de Vulg. & Pup. l. 21. §. 1. de rec. arbit.*
[f] *L. 9. §. 1. de damn. inf.*
[g] *Agell. lib. 6. c. 12.*
[h] *§. 1. Inst. de Codicil.*
[i] *L. 2. de Orig. jur.*
[k] *Pltn. lib. 8. c. 40.*

longævitas ejus facilè permittit ut Q. Mutium Pont. Max: audire potuerit. Fuit autem hic Jurisconsultus vir facetissimus teste Macrobio. [l] *Cascellius Jurisconsultus urbanitatis miræ, libertatisque habebatur, præcipuè tamen is jocus ejus innotuit. Lapidatus à populo Vatinius, cum gladiatorium munus ederet, obtinuerat, ut ædiles edicerent, nequis in arenam nisi pomum mississe vellet. Forte his diebus Cascellius Consultus à quodam an nux pinea pomum esset, respondit, si in vatinium missurus es pomum est. Mercatori deinde quemadmodum cum socio navem divideret interroganti, respondisse traditur, Navem si dividis, nec tu nec socius eam habebitis:* postremum illud etiam refert Quintilianus. [m] Quod de libertate dicit Macrobius, id Valerius Maximus memorabili exemplo comprobat, dum ait, *Aulus Cascellius* (ita enim legendum) *vir juris civilis scientia clarus quam periculose contumax. Nullius enim aut gratia aut auctoritate, compelli potuit, ut de aliqua earum rerum quas triumviri dederant, formulam componeret. Hoc animi judicio victoriarum beneficia extra omnem ordinem legum ponens.* [n] Addit & alterum idem auctor: *Idem eum multa de temporibus Cæsaris liberius loqueretur, amicique ne id faceret monerent: Duas res quæ hominibus amarissimæ viderentur, magnam sibi licentiam præbere respondit, senectutem & orbitatem:* quem locum miror tam male à Bertrando lectum, ut ex eo hunc nostrum Jurisconsultum tanquam alterum Appium Claudium, luminibus captum fuisse putaverit: id enim Valerius non dicit, sed præcitatis Cascellii verbis indicare voluit, hominem qui sine liberis ad summam senectutem pervenit, nihil habere quod timeat; nam neque sibi metuit: supremæ enim metæ appropinquat, neque hæredibus, quos extraneos habi-

[l] *Macrob. lib. 2. Sat:*

[m] *Quint. lib. 6. c. 4.*

[n] *Val. Max. lib. 6. c. 2.*

turus est. Quapropter etiam hic noster Quinti Mucii præceptoris sui nepotem hæredem suum fecit. Hunc eundem Jurisconsultum præter allegatos jam auctores à juris quoque scientia commendat Horatius. [o]

o *Horat. in arte Poët.*

Consultus juris & actor
Causarum mediocris, abest virtute diserti
Messalæ, nec scit quantum Cascellius Aulus,
Sed tamen in pretio est.

Ubi forte vetus Commentator nugatur dum ita notat, *Cascellius juris peritus fuit & sapiens, ut Agellius testatur, qui libros noctium Atticarum scripsit.* Meminit sane Cesellii Agellius, citans ejus commentarium sectionum antiquarum, & alibi hominem minimè malum vocat: [p] sed is Cesellius Vindex dictus est, fuitque Grammaticus haud quaquam ineruditus. [q] Auli autem Cascellii Jurisconsulti nuspiam, quantum quidem mihi noctes atticas perlustranti occurrit, mentionem fecit Agellius. Nisi dicamus in iis qui interciderant Agellii libris hujus Cascellii extitisse elogium. Fuit autem Cascellius noster Quæstorius, nec ultra proficere voluit, cum ipsi etiam Augustus Consulatum offerret. [r] Scripsit varia, sed nihil tempore Pomponii extabat, præter unum librum benedictorum: citatur sæpissime in Pandectis & præcipuè à Javoleno. Diversum ab hoc nostro esse Cascellium sive Cæsellium prædiatorem, ad quem Q. Mutius (Augur nimirum) Consultores rejiciebat, [s] jam ab aliis annotatum est.

p *Agel. lib. 2. c. 16. lib. 3. c. 16.*
q *Idem lib. 7. c. 2. & lib. 18. c. 11.*
r *L. 2. de Orig. Jur.*
s *Val. Max. lib. 8 c. 12. Cic. in Orat. pro Balbo.*

CAP.

CAP. XI.

C. Aulus Ofilius, deque ejus prænomine: Ciceronis locus illustratus: de sponsionibus in judicio varia, bonorum possessio ejus qui testamenti factionem non habuit an recte petatur? Ofilius ad quem Aticum scripserit, ejus uxor: P. Alfenus Varus, è sutore Jurisconsultus & Consul: scripta ejus: de aliis Alfenis: Titus Cæsius: Ausidius Tucca: Ausidius Namusa; auditores Servii: Flavius Priscus: C. Atejus Pacuvius: Labeo Antistius pater, ejus mors memorabilis, alius est a P. Antistio contra Hottomannium: Cinna, deque Consulatu alterius Cinnæ contra Bertr. de Poëta & Cornelio Cinna: Publicius Gellius: male Hottomannus Publicola Gellius: male & Rutilius P. Cæcilius; de Jurisconsulto Cæcilio: Cælius & Cæcilius idem nomen: de Cælio Sabino quædam.

ENumerabimus hoc capite decem Jurisconsultos, qui à Servio Sulpitio jus civile didicerunt, unde etiam diversis in locis auditores Servii nominantur. [a] Eorum primus sit.

[a] *L. 1. §. 6. de aqua & aq. pl.*

C. Aulus Ofilius Tuberonis & Capitonis præceptor, qui hoc nomine à Pomp. fuisse perhibetur, neque est quod quispiam cogitet Caji prænomen à reliquis nominibus posse divelli, namque hoc pacto numerus denarius Jurisconsultorum qui à Pomp. referuntur sibi non constaret. Quod vero quidam objiciunt, Romani moris non esse ut duo quis habeat prænomina, sicut hic Caji & Auli habiturus esset: id aliter quandoque usu venire notarunt ante nos alii. [b] Jurisconsultum hunc à servio profeciſse narrat Pomponius, sciendum tamen eum etiam vivente adhuc Servio magno in honore fuisse, adeo ut litigantes eum post Consilium à Servio acceptum, adire non; gravarentur; quare [c] & merito Labeo eum ab auditoribus Servii distinguit, utpote qui non simplex ejus auditor

[b] *Bertr. in Ofilii vita.*

[c] *L. 6. §. 1. de dote præleg.*

esset, sed tanti jam tum nominis, ut Trebatio ejus auctoritas opponeretur, quæ omnia ex hac ad Trebatium epistola discimus: *Silii causam te docui, is postea fuit apud me, cum ei dicerem tibi videri sponsionem nos sine periculo facere posse. Ni bonorum Turpiliæ possessionem Q. Cæpio Prætor ex Edicto suo mihi dedit: negare ajebat Servium tabulas testamenti esse eas quas instituisset is qui factionem testamenti non habuit: hoc idem Ofilium dicere.* d Quæ ut obiter interpretemur, ex variis bonorum auctorum locis palam fit Romanos solere reprimendæ calumniæ ergo in causis præcipue conjecturalibus sponsionem in certam pecuniæ summam facere, quo casu victor judicii pecuniam sibi habebat, victus vero tantum non infamis erat: ea sponsionis formula quandoque à prætore dictabatur partibus, quandoque ab uno litigantium offerebatur alteri. Exemplis res fiet clarior, *Pythias cum sponsionem fecisset, Ni bonus vir esset, dixit ei Fimbria se eam rem nunquam judicaturum.* e Sic Valerius prætor Lutatium consulem sponsione provocavit *Ni suo ductu Punica Classis esset oppressa, nec dubitavit restipulari Lutatius:* f Sic Cato Flaminio hanc conditionem tulit ut aut fateretur objecta, aut secum sponsione certaret. g In orationibus quoque Ciceronis harum sponsionum exempla occurrunt, ut illius, *Ni ex edicto Prætoris Cæcina esset restitutus;* h & hujus, *Si bona Quintii ex edicto P. Burrieni Prætoris dies* 30. *possessa essent* i in qua causa Cicero hæc capita constituit, ut dicat primo non fuisse rationem cur possessio bonorum postularetur: deinde non potuisse adversarium ex edicto possidere: & postremo etiam non possedisse. Pari modo & hic Trebatius sponsionem tuto fieri posse putabat *Ni bona Turpiliæ ex edicto essent possessa*, ut ab iis Tur-

d *Cic. Epist. fam. lib. 7. Ep. 21.*

e *Cic. de off. 3.*

f *Val. Max. lib. 2. c. 8.*

g *Liv. Dec. 4. lib. 9.*

h *Cic. pro Orat. pro Cæcina.*

i *Cic. Orat. pro Quint.*

Turpiliæ ab Inteſtato ſucceſſuri erant, à Silio, jam ex teſtamento in poſſeſſionem miſſo, non poſſent avocari: ſed ab adverſariis oggerebatur, non potuiſſe ea bona ex edicto poſſideri, quia Turpilia teſtamenti factionem non habuerat, idque ex ſententia Servii & Ofilii, quare petit Cicero à Trebatio ut rem penitius examinet. Poſteriores certe & Prætores & Juriſconſulti, litem Silio abjudicaſſent: nam *Exigit Prætor ut is cujus bonorum poſſeſſio datur, utroque tempore jus teſtamenti faciendi habuerit, & cum facit teſtamentum, & cum moritur*: [k] alias bonorum poſſeſſio non datur: & Modeſtinus expreſſe decidit *Nullas eſſe Tabulas Teſtamenti, quas is fecit qui teſtamenti faciendi facultatem non habuerit.* [l] Sed redeundo ad Inſtitutum noſtrum fuit Ofilius noſter equeſtris tantum dignitatis ſed Trebatio Caſcellioque doctior, multum operæ poſuiſſe comperitur in accurata nominum verborumque interpretatione eorumque vero ſenſu indagando. [m] Ideo cum legimus Ofilium ad Atticum de verbo *vivere* quædam ſcripſiſſe, [n] id commodiſſimè cum Bertrando de T. Pomp. Attico intelligere poſſumus: ſive is Ofilium per epiſtolam de jure conſuluit: ſive Atticus aliquid de verbo vivere (erat enim Grammaticus) [o] ſcripſiſſe credendus eſt, forte dicens illud verbum ad ſolum cibum pertinere, quod Ofilio occaſionem notandi præbuerit. Reliquit autem de jure civili libros plurimos, de legibus viceſimæ, de juriſdictione, ad Edictum Prætoris. [p] Libros præterea actionum amplius ſexdecim, nam in Pandectis decimi ſexti fit mentio: [q] & juris partiti libros ad minimum quinque, [r] & alia nobis incognita. Videtur huic Ofilio uxor Clodia fuiſſe, quæ vixerit annos 115. quindecies enixa ſit, qua de re videndus Plin. lib. 7. c. 18.

k *L.* 1. §. 3. *de bon. poſſ. ſec. Tab.*

l 19. *qui Teſt. Fac.*

m *L.* 5. §. 1. *de Injuriis l.* 40. §. 1. *de Cond. & dem.*

n *L.* 234. *de verb. ſign.*

o *Cic. Epiſt. ad Att. lib.* 7. *Ep.* 3.

p *L.* 2. *de Orig. Jur.*

q *L.* 3. §. 5. *de Penu Leg.*

r *L.* 55. §. 4. *de Legat.* 3.

P. Alfenius Varus ita enim potius nominandus est quam aut Alphenus aut Alphimus, plurimum inter Servii discipulos auctoritatis habuit, quamquam antea sutrinam exercuisset. Notat enim antiquus Horatii interpres Varum Cremonensem, abjecta quam in municipio exercuerat, sutrina Romam Venisse, Marcoque (lege Servio) Sulpitio Jurisconsulto usum, sua scientia ad tantum dignitatis perveniſſe ut Consulatum gereret & publico funere efferretur. [r] Eundem & ibidem Horatius Vafrum appellat, sicut alibi vafrum jus dicit, quia magna ejus pars tunc temporis in cautionibus & formulis consistebat, quas qui optimè callebat is sæpe superior erat adversario. Fuit autem hic Varus noster Consul cum P. Vinucio, anno urbis 754: sed quid gesserit in Rep: non reperio. Jurisconsultum magni nominis apud posteros fuisse vel hinc constat, *Hi ut altius videantur jura callere Trebatium loquuntur, Cascellium & Alfenum.* [t] Præterea nec incurioſus rerum antiquarum teste Agellio [u] habitus est. Scripsit libros 40. Digestorum ut ex indice Pandectis præfixo patet, itemque ex Agellio & Paulo. [x] Itemque libros collectaneorum ut exdicto Agellii loco patet, unde forte desumtum est, quod dicitur Servium apud Alfenum notasse: [y] & Servium apud Alfenum putare. [z] Certe & in digestorum libris Alfenus sæpissimè auctoritate Servii utitur, ejusque responsa citat; imo & ad eundem notas scripsisse videtur. [a] Cæterum Alfeni libros Digestorum in Epitomen contraxit Jurisconsultus Paulus, unde promiscuè citatur Paulus in libris Epitomarum Alfeni, vel Paulus in libris Epitomatorum Alfeni Digestorum & Alfenus in libris Digestorum à Paulo epitomatorum. Quæ de Alfeno apud Tacitum lib. 18. dicuntur, & de Sexto Alfeno apud Cice-

r *Comm. Horat. ad lib. 1. Sat. Ecl. 3.*

t *Ammian. Marcell. lib. 30.*

u *Agel. lib. 6. c. 5.*

x *L. 21. de neg. gest.*

y *L. 65. §. 8. pro socio.*

z *L. 77. de verb. sign.*

a *L. 25. qui Test. fac.*

Ciceronem in oratione pro Quintio, alterius esse loci jam ab aliis est animadversum: at vero Alfenus, à Lampridio inter Consiliarios Alexandri relatus, an in rerum natura fuerit, merito propter suspectam loci fidem ambigitur.

Titus Cæsius hujus Jurisconsulti nomen debemus Pomp: utinam & aliqua, quæ ad vitam ejus facerent, addidisset, meminit Marci & Sexti Titiorum Cicero, & ex eo Rutilius, sed illis cum hoc nostro nihil convenit.

Aufidius Tucca. Hiccine sit Tucca ille qui superfuit Virgilio, de quo Apollinaris *Tucca vetat variusque simul:* dubitat. Ant. August: quia eum Donatus Plotium vocat, Publii certe Aufidii Jurisconsulti verba à Prisciano citantur, [b] qui & ipse à nostro diversus videtur. Aufidii vero sine alio prænomine aut cognomine mentio aliquoties in Pandectis occurrit, cum Servii responsa afferuntur, [c] sed id forte ad Aufidium Namusam referendum est.

[b] *Prisc. lib. 8.*

[c] *L. 52. §. 18. pro socio l. 20. de opt: leg:*

Aufidius Namusa, Condiscipulorum suorum scripta in centum quadraginta libros digessit, itaque ex Namusæ Scriptis multa Servii responsa referuntur. [d] Citatur & Namusæ hujus auctoritas ab Ulpiano & Paulo. [e] Fit autem verisimile mihi eum ita aliorum opera digessisse, ut quæ varii de eadem re scripsissent, conjunxerit; quare cum auditorum Servii fit mentio, credibile est illos ex his Namusæ libris citari: non item illud Bertrandi probo, dicentis hos libros vocatos fuisse Auditores Servii, neque enim id recta latini sermonis ratio patitur videtur.

[d] *L. 40. §. 3. de Cond. & Dem.*

[e] *L. 5. §. 7. Commod. l. 2. §. 6. de aq. & aq. pl.*

Flavius Priscus, est & hic Jurisconsultus satis ignobilis neque alibi quam apud Pomponium ejus fit mentio. Notum est in historia Romana stemma Flaviorum,

rum, sed vix id ad hunc nostrum pertinere existimo.

C. Atejus Pacuvius, meminit Ateji Jurisconsultus Labeo, ubi Servium respondisse scribit [f] *cum commodissimum esset*, significare, cum *quis sine turpitudine & infamia* dare posset, Citatur quoque Pacuvius ab Ulpiano, [g] qui notat eum in Edicto Prætoris pro voce commodati vocem utendi substituisse. Nominat & Attejum seu Ætium quendam Philologum Suetonius, [h] quem Atejus Capito Jurisconsultus inter Grammaticos Rhetorem, inter Rhetores Grammaticum fuisse ajebat: sed id hunc nostrum minimè tangit.

f *L. 79. §. 1. de jur. dot.*

g *L. 1. ff. de Commodat.*

h *De illustr. Gramm.*

Labeo Antistius Pater, hic Jurisconsultus præter sapientiæ & jurisprudentiæ laudem duobus, maxime nominibus posteris commendari meruit, cum quod majorem se filium progenuit, tum quod post aciem Pharsalicam Bruto, & Cassio, imo toti reipublicæ, super esse noluit, de filio postea agemus: mortis genus, his verbis expressit Appianus: [i] Λαβεὼν δὲ ἐπὶ σοφίᾳ γνώριμος, ὁ πατὴρ Λαβεώνος τοῦ κατ' ἐμπειρίαν νόμων ἔτι νῦν περιόνυμος, βόθρον ὀντῇ σκηνῇ τὸ μέγεθος ἀνίσαρκῆ ζώματι ὀρυξάμενος, καὶ τὰ λοιπὰ τοῖς θεράπουσιν ἐντειλάμενος ἐπεσκήψε τῇ γυναικὶ, καὶ τοῖς παισὶ περὶ ὧν ἐβούλετο, καὶ τὰ γράμματα φέρειν ἔδωκε τοῖς οἰκείοις, ἔπειτα δὲ πιστοτάτῳ τῆς δεξιᾶς λαβόμενος, καὶ περιστρέψας, αὐτὸν ὡς ἐθος ἐρι Ῥωμαίοις ἐλευθέρων, ἐπιστρεφομένῳ ξίφος ἔδωκε, καὶ τὴν σφαγὴν ὑπεκε καὶ τῶν δὲ μὲν ἡσκήνη τάφος ἐγένετο: id est *Labeo vero clarus sapientia, Pater Labeonis illius qui propter legum peritiam hodieque celebratur, cum fossam in tabernaculo ad mensuram corporis sui feciisset, mandataque servis cæteris de rebus dedisset, uxori liberisque de quibus voluit prospexit, & servis litteras ad eos dedit. Tunc fidelissimo ex iis dexteræ prehenso eum (qui Romanis manumittere volentibus mos est) circumegit, & circumacto gladium tradidit, jugulumque præbuit:*

i *App. lib. 4. bell. civ.*

&

& huic quidem Tabernaculum pro sepulchro fuit. Quo magis miror Franciscum Hottomannum egregium Galliæ suæ lumen, hunc Labeonem patrem confundere cum P. Antistio quem Cicero [k] tabulam sane probabilem vocat, nam is, teste eodem *Temporibus floruit iis quibus inter profectionem reditumque L. Syllæ sine jure fuit & sine ulla dignitate resp:* fuit igitur conjunctus ætati Sulpitii oratoris (circa annum 670) atque ita Hortensium, Ciceronem, Serviumque Sulpitium aliquot annis anteceſſit, ut discipulus hujus esse nequiverit. Denique & Antistius ille in Mariana Tempestate cum aliis viris maximis absumtus est, teste Appiano [l] & Vellejo. [m] Qui eum virum ædilitium appellat & uxoris hoc nobile factum adnectit; *non perdat nobilissimi facti gloriam Calpurnia Bestiæ filia, uxor Antistii quæ jugulato ut prædiximus vero gladio se ipsam transfixit*: quæ omnia huic Labeoni patri minime conveniunt, meminit & alibi alterius cujusdam Antistii qui Sexto Pompejo in bellis operam navaverit Appianus [n] sed hæc à nostro aliena sunt.

k *Cic. in Bruto.*

l *App. lib. 1. bell. civ.*

m *Vell. Paterc. lib. 2.*

n *App. lib. 5. bell. civ.*

Cinna de hoc Jurisconsulto nihil fere certi afferri potest: congeruntur quidem aliqua à Bertrando sed nullis certis argumentis ostendi possunt, huic nostro convenire. Nam quod de Cinna Consule anno 757. adducit, id ego L. Cinnæ qui in Cæsarem conjuraverat tribuendum arbitror, nam eum Consulem fuisse testatur Seneca. [o] Eundem Cn. Pompeji nepotem, & stolidi ingenii virum appellans, quod in Jurisconsultum nostrum non quadrat. Videtur & Cinna Poëta qui Smyrnam scripsit paulo antiquior hoc nostro fuisse, de quo Catullus *Smyrna mei Cinnæ.* Nam in Smyrnam Cinnæ sub Augusto Commentarii scripti sunt à Grammatico Crassitio, [p] unde liquet eam ante Augustæum

o *Sen. lib. 1. de Clem. c. 8.*

p *Sueton. de Illustr. Gramm.*

ævum scriptam fuisse, atque ita hunc Cinnam illum Poëtam non esse. Nisi forte hunc nostrum diu vixisse, & hoc in juventute opus edidisse dicimus, quod vix verisimile mihi fit, forte de hoc nostro intelligi potest hic Virgilii locus. [q]

q *Virg. Ecl. 9.*

Sed neque adhuc Varo videor neque dicere Cinna
Digna,

Meminit & Cornelii Cinnæ, qui pro conjuratis contra Cæsarem orationem habuit, Suetonius, [r] addens plebem Romanam maximo in eum odio flagrantem obvium sibi Helvium Cinnam per errorem nominis trucidasse. Jurisconsulti autem nostri memoria extat & alibi in Pandectis à Javoleno & Ulpiano conservata. [s]

r *Suet. in vita Julii Cæs.*

s *L. 40. §. 1. de cond. & dem. l. 6. de ritu nupt.*

Publicius Gellius. Hujus Jurisconsulti, ex auditoribus Servii postremi, nomen varii variè depravant, nos prius hanc Pandectarum Florentinarum lectionem tuebimur, deinde aliorum commenta discutiemus. Confirmatur imprimis hæc lectio auctoritate Marcelli, [t] Ulpiani, [u] & Modestini, [x] quos omnes Publicii mentionem facientes, de hoc nostro intelligere nulla ratio vetat. Neque obstat quod quidam putant, Publicii nomen, itemque Gellii diversarum Familiarum cognomina esse, atque ideo jungi non posse: namque aliter rem se habere ex Valerio Maximo discimus, qui Publicii libertini meminit: [y] itemque ex loco quodam Pauli Jurisconsulti ubi Publicius prænominis loco est. [z] Et Ulpiani ubi D. Adrianus Publicio Marcello rescripsisse dicitur. [a] Errat igitur ut & à Bertrando sed non additis rationibus annotatum est, Hottomannus, dum hoc loco legendum putat Publicola Gel-

t *L. 50. §. 15. legat. 2.*

u *L. 52. §. 8. ad Sc. Tertul.*

x *L. 51. §. 1. de cond. & dem.*

y *Val. Max. lib. 9. c. 14.*

z *L. 24. quando dies leg. cod.*

a *L. 18. de stat. hom.*

Gellius, cujus meminit Cicero his verbis: *L. Gellius non tam vendibilis orator quam ut nescires quid ei deesset, nec enim erat indoctus, nec tardus ad excogitandum, nec Romanarum rerum immemor.* [b] Nam ut demus Ciceronem illic loci de Gellio Publicola agere, (quod cognomen tamen illic non reperitur) certe nec locus ille evincit, eum Jurisconsultum fuisse: denique & si Jurisconsultus fuisset, ut tamen is auditor Servii & Vari aliorumque qui sub Augusto floruerunt coævus fuerit temporum ratio non permittit. Subjungitur enim à Cicerone. L. Crasso M. Antonio & reliquis prioris ævi oratoribus, quod si ita est, non potuit à Servio proficere iste Gellius qui aliquot ante Ciceronis consulatum annis & Consul & Censor fuit, ut ex fastis videre est. Fuit & alius quidam L. Publicola Gellius cum Nerva anno urbis 717. Consul Augusto rerum potiente: sed hunc Jurisconsultum nemo unquam dixit, neque ejus, ut longè Junioris in præcitato loco, Cicero mentionem facere potuit. Errat & Rutilius qui vulgatos nescio quos codices secutus *Publium Cæcilium* hoc loco obtrudere nobis conatur, quem nunquam in rerum natura fuisse contendo. Citatur aliquoties in Jure Cæcilius ab Agellio celebratus: aut si hoc recipi aliqua vetat ratio, dicendum est ibi de Cælio Sabino esse sermonem. Sic in titulo ad edictum curulium, pro voce *Cæcilius* substituendum est *Cælius* [c] ut intelligatur Sabinus quem Agellius librum de Edicto ædilium scripsisse narrat [d] sed is eum *Cæcilium Sabinum* appellat. Unde non immerito suspicari quis posset nomen Cæcilii & Cælii unum idemque esse, ac promiscuè usurpari: & argumento est quod sub eodem titulo, imo & in eodem Ulpiani loco, nomen Cælii occurrit. [e] Cum accedit quod senatorem quem Agel-

[b] Cic. in Bruto.

[c] L. 14. §. fin de ædil. Ed.

[d] Agel. lib. 4. c. 2.

[e] L. 14. l. 17. de ædil. Ed.

lius Cæcilium appellat [f] eundem Macrobius Cælium nominat. [g] Eadem responsio potest accommodari ad varias Pandectarum leges, ubi Cæcilii nomen reperitur: [h] quod vero in titulo de penu legata ejusdem Jurisconsulti nomen occurrit, [i] id vitio codicum accidisse, supra demonstravimus, est enim illic Sexti Ælii nomen reponendum. Neque obstat iis quæ de Cælio Sabino, qui ad Edictum Curulium scripsit, diximus, argumentum Bertrandi ex alio ejusdem tituli loco petitum, [k] quo colligit Cælium de quo ibi sermo est Labeone fuisse antiquiorem, atque ita alium à Cælio Sabino: quia illic tantum hoc dicitur Labeonem eandem sententiam antea probasse, in qua postea fuit Cælius, quod sæpius in Pandectis usu venire videmus: postquam enim junioris Jurisconsulti opinio allata est, solet illa auctoritate anteriorum firmari, non attenta verborum aliquando structura: sic *Proculus Labeonis sententiam improbat, & in Javoleni sententia est*, [l] cum tamen Proculus diu ante Javolenum scripserit: & alibi scripsit Julianus, quod & Sabinus probat: [m] nemo autem dubitat quin post Sabinum vixerit Julianus. Sed ad propositum redeundo, illud constat nusquam in Pandectis P. Cæcilii Jurisconsulti fieri mentionem; atque ita id nomen male hoc loco à Rutilio receptum patet. Quæ de Publicio Prætore, actionis Publicianæ auctore huc poterant congeri, ut aliena sciens prætermitto.

f *Agel. lib. 7. c. 14.*
g *Macrob. lib. 1. c. 5. Sat.*
h *L. 1. §. 7. quando de pec. act. ann. l. 64. de donat inter vir. & ux.*
i *L. 3. §. 9. de penu leg.*
k *L. 17. §. 15. de ædil. Ed.*
l *L. 16. de acq. vel omitt. hær.*
m *L. 40. §. 3. de aqua pl.*

CAP.

CAP. XII.

Q. Ælius Tubero, ejus Pater Lucius: de Prætore Ælio cui picus in capite adsedit: è Nonio Marcello mendum sublatum: vitiosa Bertrandi emendatio: scripta Tuberonis, & cur huic assignentur: C. Atejus Capito: ejus adulatio: de Asinio & Fontejo Capitonibus, Rutilii error. Suetonii locus emendatur: scripta Capitonis. Q. Antistius Labeo: ejus Libertas, de ejusdem consulatu: Labeonis elogia: uxor ejus Neratia, deque ea error Rutilii: de Cornelio & Areno Labeonibus: de Labeone Jurisconsulto error Bertrandi; Labeonis scripta: correctus Index Pandectis præpositus.

Q. *Ælius L. F. Tubero.* Hic est ille Tubero qui adolescens Q. Ligarium coram Cæsare accusavit, defendente Cicerone, idque ea ut videtur de causa, quod se patremque suum in Africam à senatu missos noluisset admittere, ac neque applicare littori, neque haurire aquam ægrum sivisset. Quæ res adeo commoverat Julium Cæsarem, ut firmo damnandi proposito, Ciceronem audiverit, *sed quid facundia posset Tunc patuit*, absolutus enim est ab ipso Cæsare Ligarius. [a] Exinde Tubero se Ofilio & juri totum dedit, doctissimusque habitus est juris privati & publici, complures quoque operis libros reliquit, sermoni antiquo plus æquo addictior, atque ideo minus gratus legentibus. [b] Patrem habuit L. Tuberonem cum Cicerone in iisdem studiis versatum cujus in Ligariana meminit: sed is diversus est ab eo cui, cum Prætor Urbanus jus diceret, Picus advolavit, atque in Capite ita placidè consedit, ut manu prehenderetur. [c] Esse enim illam historiam longe antiquiorem hic Valerii Maximi locus ostendit, *Ælio prætori jus dicenti cum in capite picus consedisset aruspicesque affirmassent conservato eo forè*

[a] *Plut. in vita Cicer.*

[b] *Pomp. l. 2. de orig. jur.*

[c] *Plin. lib. 10. c. 18.*

domus ipsius statum felicissimum, Reipublicæ miserrimum, occiso in contrarium utrumque cessurum, è vestigio picum morsu suo in conspectu Senatus necavit, decem & septem milites suæ familiæ eximiæ fortitudinis viros Cannensi prælio amisit: Respublica procedente tempore ad summum imperii fastigium excessit.[d] Ex quo loco discimus id prodigium ante secundi belli Punici tempora accidisse. Unde & obiter notandum Nonium Marcellum in voce picuminis emendatione quidem indigere, sed non ea quam Bertrandus attulit, est enim illic loci pro *Pedius Petus* legendum *Ælius Pætus*, non vero Ælius Tubero. Idem tamen quem Bertrandus innuit demonstratur *L. Ælius Pætus Tubero*, notum enim est ex historia Romana, & Tuberonis superioris vita, Tuberones ex Æliorum & Prætorum familia oriundos fuisse. Cæterum hunc nostrum Tuberonem ex posteris Tuberonis supra memorati fuisse libens dederim, sed ut nepos ejus fuerit, longum interjecti totius sæculi & quod excurrit, intervallum, non patitur. Habuit autem in matrimonio Servii Sulpitii filiam, ex qua nata est alia filia mater Cassii Longini. Videtur etiam ex fastis Capitolinis & Plinio,[e] hic noster Q. Tubero Consul fuisse cum Fabio Maximo temporibus Augusti, anno urbis 742. quamquam id Pomponius non narrat, certe huic conjecturæ temporum ratio non refragatur: quod si credimus: emendandus est Dio qui illius anni Consulem *Q. Ælium Quinti filium* vocat, hic enim noster Lucci fuit filius: unde suspicari possumus illum hujus nostri filium, sed juvenem sane fuisse. Meminit cujusdam Seii Tuberonis Tacitus quem sub Tiberio Majestatis falso accusatum narrat cum esset è Primoribus civitatis, *Intimus Cæsaris amicus*, defecto corpore.[f] Fuerat

d *Val Max. lib. 5. c. 6.*

e *Plin. lib. 8. c. 17.*

f *Tac. lib. 4. annal.*

rat is Germanici legatus, [g] imo & cum Germanico Consul, ut ostendit inscriptio vetus ab Onuphrio adducta, quam male interpolavit Bertrandus, dum locos Taciti citatos non satis attente expendit. Neque obstat quod in Fastis Tiberius & Germanicus Consules Inveniuntur anno 770: quia Tiberius eodem anno hunc Sejum Tuberonem amicissimum hominem sibi ipsi substituisse, eique suffecti consulatus honorem detulisse dicendus est. Porro Jurisconsulti nostri Tuberonis memoria apud Agellium quoque extat, [h] ubi eum præcepta super officio judicis scripsisse testatur. Scripsit præterea historias sicut ex aliis Agellii locis patet, [i] & quidem libros quatuordecim ut ex Nonio Marcello discimus: [k] Itemque librum ad Oppium. [l] Quos quidem libros ego huic nostro eo lubentius, adjudico, quod ex iis ab Agellio & Nonio citentur verba vetustate obsoleta, quibus eum libentissimè usum fuisse notat Pomponius. Ejusdem Tuberonis Jurisconsulti nos in Pandectis mentionem sæpissimè fieri videmus, ut in definitione Peculii: [m] nam ut hæc ad priorem Tuberonem supra à nobis memoratum referamus Celsi Jurisconsulti locus non patitur, [n] unde non dubiis argumentis infertur Tuberonem hunc Servio Sulpitio fuisse posteriorem.

[g] *Tac. lib. 2. annal.*

[h] *Agel. l 14. c. 2.*

[i] *Agel lib. 6. c. 4. lib. 10. c. 28.*

[k] *Non. Marc. in verbo luxuriabat.*

[l] *Agel. lib. 7. c. 9.*

[m] *L. 5. l. 6. de pecul.*

[n] *L. 7. §. 1. & 2. de supel. legat.*

C. Atejus Capito, Ofilium Jurisconsultum audivit & secutus est, cumque in iis quæ quasi per manus tradita acceperat perseveraret, diversam à Labeone sectam constituit: [o] diversam quoque rationem vitæ iniit: nam Labeo incorruptæ libertatis fuit, hic tempori magis inserviebat. Patrem autem habuit Capitonem Prætorium, avum centurionem Syllanum, obiit ipse circa annum 775. quæ omnia ex his Taciti verbis patent, *obiit Capito Attejus principem in civitate locum studiis civi-*

[o] *Pomp. ad l. 2.*

civilibus adsecutus, sed avo centurione Syllano, patre prætorio. Consulatum ei acceleraverat Augustus ut Labeonem Antistium iisdem artibus præcellentem, dignatione ejus Magistratus anteiret. Namque illa ætas duo pacis decora simul tulit, sed Labeo incorrupta libertate, & ob id fama celebratior, Capitonis obsequium dominantibus magis probatur. [p] Extat apud eundem eodem libro insigne adulationis exemplum nam cum Cæsar aliquem inter reos recipi vetaret, *Palam aspernabatur Attejus Capito tanquam per libertatem, non enim debere eripi patribus vim statuendi: sane lentus in suo dolore esset, Reip: Injurias ne largiretur*, & subdit Capito insignior infamia fuit, quod humani divinique *juris sciens, egregium publicum, & bonas domi artes dehonestavisset.* Est & aliud simile exemplum à Suetonio relatum, nam cum de verbo aliquo novo controversia esset inter Tyberium & Pomponium Marcellum Grammaticum, affirmavit Capito *esse d illud Latinum, & si non esset futurum: tum alter, jam inde mentitur inquit Capito: Tu enim Cæsar civitatem dare potes hominibus, verba non potes* ubi tamen majore cum sensus argutia cum Bertrando lego, *verbis non potes*, Meminit hujus Ateii Capitonis sæpissimè Agellius eumque *Publici privatique juris peritissimum* vocat, [q] itemque Macrobius qui eum *juris Pontificii* inter primos peritum appellat, [r] notandum tamen est plures fuisse Capitonum familias, nam & Titinios & Sisunnos Capitones invenio, deinde Asinii Capitonis viri doctissimi epistolas citat, idem Agellius disertè [s] eumque sæpissimè laudat Festus [t] quanquam corrupti codices pro Asinio plerumque Sinnium habent, unde colligere licet grammaticum eum fuisse & apud Tacitum Fontejus Capito, qui Proconsul Asiam curaverat,

p *Tac. lib. 3. annal.*

q *Agel. lib. 10. c. 20.*

r *Macr. lib. 1. Sat.*

s *Agel. lib. 5. c. 20. 21.*

t *Fest. in voce Manius.*

rat, criminis majestatis à Tyberio absolutus dicitur; [u] postea tamen idem ille Fontejus homo *avaritia ac libidine fædus ac vitiosus*, sub Galba tanquam novas res moliens occisus est. Quod eo accuratius hic annotandum duximus, quia Rutilius aliique errore nominis inducti huic nostro Jurisconsulto consulatum cum Germanico Cæsare anno ab urbe condita 764. assignant, cum tamen Fasti Capitolini C. Fontejum C.F. C. N. Capitonem illic loci agnoscant, certe & noster Jurisconsultus Consul fuit cum C. Vibio Posthumo anno 758, sed suffectus, ut ex veteri lapide ab Onuphrio in medium producto recte probat Bertrandus; idque satis perspicuè indicatur à Tacito in loco citato, ubi ait *acceleratum illi Consulatum.* In eo consulatu suo decrevisse etiam traditur, patronum invitam libertam uxorem ducere non posse. [x] Citant hunc nostrum Capitonem Proculus, Javolenus, Paulus, & ipse quoque Labeo, [y] qui omnes Attejum appellant: Quæ de Atejo Capitone ex Dione & Cicerone [z] & de aliis Capitonibus ex Seneca, Vellejo, Appiano à Bernardino Rutilio afferuntur, nullis evidentibus argumentis aut hunc aut patrem ejus tangere demonstrari possunt. Hoc certe quod subjunximus hujus nostri est. *Attejus Philologus libertinus Athenis natus fuit, hunc Capito Attejus, Jurisconsultus inter Grammaticos Rhetorem, inter Rhetores Grammaticum fuisse* ajebat: [a] ubi obiter pro Attejus moneo reponendum *Ætius Philologus*, idque auctoritate Festi eum ita nominantis. [b] Scripsit autem Capito noster de Pontificio jure libros aliquot, certe sex, [c] fecit præterea conjectaneorum libros plurimos, nam 259. citatur ab Agellio, [d] & præterea collectaneorum inscriptionem præferentes libros aliquot, ex quorum octavo

u *Tac. lib. 4. ann.*

x *L. 29. de rit. nupt.*

y *L. 79. §. 1. de jur. dot. l. 30. §. 6. de leg. 3.*

z *Cic. Epist. fam lib. 8. Ep. 8. & lib. 13. c. 29.*

a *Suet. in lib. de illustr. Gramm.*

b *Fest. in voce nuscitiosus.*

c *Agel. lib. 4. c. 6. Fest. in verb. mundus.*

d *Non. Marc. in verbo situinos. Agel. lib. 20. c. 2. & lib. 14. c. 7.*

qui de judiciis publicis inscriptus fuit, locum profert idem Agellius. [e] Nec non librum singularem de officio Senatorio [f] & de jure sacrificiorum librum unum auctore Macrobio. [h] Præterea & epistolas scripsisse deprehenditur. [i] Quo auctore Bertrandus huic commentarios ad legem XII. tabularum tribuat plane ignoro, nisi forte per errorem quod Labeonis est, Capitoni adjudicaverit.

e *Agel. lib.* 4. c. 14.
f *Agel. lib.* 4. c. 10.
h *Macrob. lib.* 3. *Saturn.*
i *Agel. lib.* 13. c. 12.

Q. Antistius Labeo, filius ejus Labeonis cujus vitam supra descripsimus, C. Trebatii discipulus fuit, & Capitonis adversarius, non tantum in doctrina sed etiam tota vitæ ratione: sicut enim Capito nullam veteris Reip. & libertatis retinebat memoriam, ita hic nimiam. Sed ipsius Capitonis de Labeone judicium audire operæ pretium fuerit, *Labeo Antistius legum atque morum Pop: Rom:, jurisque civilis doctus apprimè fuit. Sed agitabat hominem libertas quædam nimia atque vecors: usque eo ut D. Augusto jam Principe & Remp: obtinente ratum tamen pensumque nihil haberet, nisi quod justum sanctumque esse in Romanis antiquitatibus legisset.* [k] Deinde exemplum in eam rem affert notabile, quod Labeo à tribunis vocatus accedere eos noluit, negans jus vocandi tribunis competere, sed tantum prehendendi hanc intempestivam Labeonis libertatem Horatius in gratiam Augusti, insaniam vocat in hoc versiculo.

k *Agel. lib.* 13. c. 12.

Labeone insanior inter Sanos dicatur, [l] aliud libertatis fere immodicæ exemplum commemorat Suetonius. [m] *Antistius Labeo Senatus lectione cum vir virum legeret, M. Lepidum hostem olim ejus (sc. Augusti) & tunc exsulantem legit: interrogatusque ab eo an non essent alii digniores: suum quemque judicium habere respondit, nec ideo libertas aut contumacia fraudi cuiquam*

l *Hor.*
m *Suet. in vita Aug.*

quam fuit. Imo si Pomponio credimus etiam Consulatum suffectum ipsi obtulit Augustus, quem ille gerere recusavit: sed ego in hac materia Tacito, qui omnia Principum arcana in numerato habuit, & illa tempora propius attigit, potius crediderim, non obscurè judicanti Augustum sicut Labeonem male mulctare noluit, ita ad summum honorem accessum illi negasse, verba ejus loco supra in Capitione citato [n] hæc sunt *Capitoni Consulatum acceleraverat Augustus, ut Labeonem Antistium iisdem artibus præcellentem dignatione ejus Magistratus anteiret: & postea illi quod Præturam intra stetit commendatio ex injuria, huic quod Consulatum adeptus est odium ex invidia oriebatur.* Quam præstanti hic vir doctrina & ingenio fuerit ex his Agellii verbis palam fit, *Labeo Antistius juris quidem civilis disciplinam principali studio exercuit & consulentibus de jure publice responsitavit, cæterarum quoque bonarum artium non expers fuit, & in grammaticam sese atque dialecticam litterasque antiquiores altioresque penetraverat, Latinarumque vocum origines rationesque percalluerat, eaque præcipue scientia ad enodandos plerosque juris laqueos utebatur.* [o] Recte itaque Pomponius eum, fiducia doctrinæ & ingenii qualitate, plurima innovare statuisse refert; neque ejus rei luculentius testimonium afferri potest quam quod quadringenta volumina reliquisse memoriæ proditum sit, unde Petronius.

Atque esto quicquid, Servius aut Labeo.

Neque minus dicendo quam scribendo operam dedit, ita enim annum diviserat ut sex mensibus Romæ cum studiosis esset, sex mensibus secederet & conscribendis libris operam daret: [p] habuit autem Labeo noster uxorem, non Vestiliam, ut Rutilius putasse videtur, sed

n *Tac. lib. 3. ann.*

o *Agel. lib. 13. c. 10.*

p *L. 2. de orig. jur.*

Neratiam cui omnem mundum legavit. [q] Idque forte in codicillis quos ipsum, jure à præceptore suo Trebatio introducto, confeciſſe affirmat locuples teſtis Juſtinianus Imperator. [r] Meminit alterius cujuſdam Cornelii Labeonis Macrobius, [ſ] quem quædam ad Deorum cultum pertinentia, Faſtos item, libroſque de oraculo Apollinis Clarii, & de Diis Penatibus ſcripſiſſe teſtatur: unde forte petita ſunt quæ Auguſtinus de Diis Romanorum adducit, [t] quamquam & Antiſtius noſter aliqua ejus generis, ut dicemus, ſcripta fecit. Laudatur & Attejus Labeo vir Prætorius à Plinio, [u] quem parvis gloriatum tabellis narrat, ſed eum cum hoc noſtro perperam confundit Bertrandus, nam ut demus (quod tamen vix credibile eſt) huic noſtro Juriſconſulto tam multis ſtudiorum generibus occupatiſſimo otium ad pingendum ſuperfuiſſe, certe Plinius eum in longa ſenecta ſuo tempore obiiſſe aſſerens omnem nobis ſcrupulum eximat neceſſe eſt, cum ab ætate Labeonis noſtri, ad ætatem Plinii totum ſæculum numeretur. Reliquit autem Labeo ad leges XII. tabularum commentarios duos, forte & plures, [x] item de jure Pontificio libros quindecim vel amplius: [y] & de Diis animalibus, [z] atque de diſciplinis Hetruſcis libros XV. [a] Verum opera ejus quæ jus civile propriè tangunt, quorumque in Pandectis fit mentio hæc ſunt πιθανῶν, libri octo, ut ex indice patet, quos in epitomen contraxit Juriſconſultus Paulus, & notas etiam ſuas addidit. [b] Poſteriorum (quos ita appellatos conſtat quia poſt mortem Labeonis editi ſunt [c]) libri quadraginta, ſic enim corrigendum catalogum Pandectis præfixum, qui decem tantum agnoſcit, Juriſconſultus Paulus oſtendit [d] & Agellius dicto loco ubi dicit tres continuos libros 38. 39. 40. plenos fuiſſe rerum

q *L. 32. §. 6. de aur. arg. leg.*

r *§. 1. Inſt. de Codicill.*

ſ *Macr. lib. 1. & 3. Sat.*

t *Auguſt. de civit. Dei lib. 2. c. 11. &c.*

u *Plin. lib. 35. c. 4.*

x *Agel. lib. 1. c. 12. lib. 7. c. 15. & lib. 20. c. 1.*

y *Feſtus in Verbo ſiſtere.*

z *Serv. ad lib. 3. Æneid.*

a *Fulgent. verbo Manales.*

b *L. 21. ſi ſerv. vind.*

c *Agel. lib. 13. c. 10.*

d *L. 9. §. 2. & 6. ad leg. Jul. Pec.*

rum ad illustrandam linguam latinam conducentium. Hos libros Epitomavit Javolenus, & suam plerumque sententiam subjecit. [c] Ad eosdem notavit Proculus, ut ex variis locis apparet [f] & Aristo, quemadmodum Ulpianus judicare videtur, [g] Scripsit præterea Labeo ad Edictum libros, quarti sane meminit Agellius dicto loco: & libros Prætoris urbani; [h] itemque Prætoris peregrini, triginta. [i] Et Epistolarum aliquot, de numero enim non constat. [k]

c L. 60. 62. de acq. hær.
f L. 69. de Cond. & dem. l. 65. §. 5. pro socio.
g L. 17. §. fin. de hæred. Inst.
h L. 19. de verb. sign.
i L. 9. §. 4. de dal. mal.
k L. 30. §. 1. de usu cap.

DE VITIS JURISCONSULTORUM.

LIB. II.

CAP. I.

Maſurius Sabinus, de Jure Publice reſpondit, ejus paupertas & auctoritas, cognomen Turpiliani non habuit, ſcripta ejus, error circa ea Bertrandi: Nerva pater, Conſul quando fuerit: ejus mors. C. Caſſius Longinus, quando Conſul fuerit, defenſus Pomponius, error Bertrandi, res à Caſſio geſtæ, ejus Cæcitas, emendatus Tacitus, ejus auctoritas & ſcripta.

Maſurius Sabinus, vir ſummæ in jure auctoritatis, primus publice ſcripſit teſte Pomponio, id eſt reſponſa ſua non ut alii anteriores viva voce, ſed in ſcriptis, & quidem obſignata dedit poſtquam à Tyberio id Impetraſſet ut publice ſibi reſpondere liceret. Cum enim antiquis Reip: temporibus unicuique liceret facultatem ſui publicè facere, Divus Auguſtus ex ſua auctoritate de jure reſponderi voluit, itaque hoc poſterioribus temporibus pro beneficio peti cæpit; donec Hadrianus antiquum ferè morem in uſum revocavit, Conceſſa omnibus qui fiduciam ſui haberent reſpondendi poteſtate, addito id non peti olim, ſed præſtari ſolere. [a] Sed redeundo ad Sabinum noſtrum narrat Pomp. dicto loco eum fere quinquagenarium in equeſtrem ordinem receptum fuiſſe, & licet magna juris ſcientia eſſet inſtructus, parum

a L. 2. de Orig. Jur.

rum tamen inde feciſſe compendii, ita ut propter anguſtias rei familiaris ab auditoribus ſuis ſuſtenfaretur. Secutus autem eſt Atteji Capitonis factionem, & adverſarium habuit Coccejum Nervam Labeonis ſucceſſorem: & hic quidem ille eſt qui diſcipulis & ſectatoribus ſuis nomen Sabinianorum hæreditarium reliquit, quod aliquoties in Digeſtis occurrit. [b] Quantæ in jure fuerit auctoritatis, vel unus hic Perſii verſus docet, [c]

b *L.* 11. §. 3. *de Donat. int. vir. & ux. l.* 11. *de acq. rer. dom.*

c *Perſ. Sat.* 5.

Cur mihi non liceat, juſſit quodcunque voluntas
Excepto ſi quid Maſuri rubrica vetabit.

Ubi obiter notandum non probare me eam quam Bertrandus ſe in manuſcriptis reperiſſe ait lectionem, *ſi quid Maſſura rubrica vetabit*: cum vetus lectio, authoritate Athenæi [d] qui noſtrum Juriſconſultum Maſurium appellat, & Pandectarum Florentinarum multis in locis, à viris doctiſſimis jam diu recepta & defenſa ſit. Idem Athenæus alibi [e] his verbis Sabinum laudat. Μαζύριος ἄπαντα ἄριστος, καὶ σοφὸς καὶ ἄδεν δεύτερος id eſt Maſurius vir uſque quaque optimus & ſapiens & nemini ſecundus.

d *Athen. lib.* 1. & 5.

e *Id. lib.* 14.

Et Arrianus [f] cum ait *legibus naturæ potius parendum quam Maſurii*, pro toto juri civili præſtantiſſimum Juriſconſultum nominavit. Cæterum addit huic noſtro Bertrandus & Turpiliani cognomen, eumque triumvirum fuiſſe putat ex inſcriptione nummi, qui ſic habet. *Sabinus Turpilianus* III. vir, quem tempore Tiberii floruiſſe colligit ex faſtis conſularibus anni 813. ſed erroris facile convincetur, ſi conſideremus neminem auctorum Sabino noſtro Turpiliani nomen appoſuiſſe, neque huic Turpiliano Maſurii nomen in

f *Arr. lib.* 4 *in Epict.*

in-

inſcriptione additum, unde potius eſſe hæc diſtincta diverſorum hominum nomina inferri deberet. Præterea nec Sabino noſtro convenit, quod de Turpiliani Conſulatu Bertrandus ait, noſter enim ſub Tiberio obiiſſe videtur, utputa cui Caſſius Longinius ejus tempore ſucceſſerit, at hic Conſulatus in annum 23. poſt mortem Tiberii incidit. Deinde & ejus anni Couſul (quod Bertrandus minus animadvertit) non fuit dictus Sabinus Turpilianus, ſed *Petronius Turpilianus*, [g] quem poſtea à Galba Imperium capeſcente cæſum ait Tacitus: [h] quæ omnia palam faciunt Bertrandi argumentum ex iſta inſcriptione ductum huic loco minime convenire. Meminit autem Maſurii noſtri Plinius, [i] & ex eo Agellius, [k] in loco ubi de tredecimeſtri partu agit his verbis, *Maſurius auctor eſt L. Papyrium Prætorem ſecundo hæredè lege agente, bonorum poſſeſſionem contra eum dediſſe, cum mater partum ſe tredecim menſibus tuliſſe diceret; quoniam nullum certum tempus pariendi ſtatutum ei videretur:* quod merito extra fidem videri poſſe idem Agellius notat. Non item crediderim hunc Maſurium eſſe eum Sabinum ad quem Plinius Junior ſcripſit, [l] ut recte oſtendit Rutilius: idque propter nimiam quæ inter Plinii & Maſurii ætates interjecta eſt temporis inter capedinem. Imo nec Cælium Sabinum (de quo infra agemus) illic loci deſignari putem, eadem motus ratione, ſed alium quempiam hominem Firmanum in ea colonia & natum & educatum, qui Plinii familiaritatem pro præſidio ornamentoque ſibi aſſumſerat, ut ipſe alibi demonſtrat: [m] quæ omnia neque Maſurio neque Cælio conveniunt. Reliquit autem Sabinus noſter juris civilis libros tres, ut ex Indice Pandectis præfixo diſcimus, in quorum ſecundo ea ſcripſit [n] quæ apud Ulpianum libro 41. ad Sabinum

g *Tacit. lib. 15. ann.*
h *Idem. lib. 15.*
i *Plin. lib. 7. c. 5.*
k *Agel. lib. 3. c. 10.*
l *Plin. Ep. lib. 4. Ep. 10.*
m *Plin. Ep. lib. 6. Ep. 18.*
n *Agel. lib. 11. c fin.*

Sabinum leguntur: [o] etiam ex libro tertio juris civilis quoddam extat fragmentum. [p] Videtur compoſuiſſe etiam librum cui titulus erat de Furtis in quo ſcriptum reliquit rei quoque immobilis furtum fieri: ſed eum à ſecundo juris civilis libro diverſum non eſſe, præter ſubjecti identitatem, vel hoc arguit quod Agellius, [q] poſtquam ſub eodem capite ſeparatim utriuſque tituli meminit, hæc ſubjicit verba, *hæc quidem ſic in eo quem nunc dixi libro Sabinus ſcripſit*, cum potius plurali locutione uti debuerit, ſi ex duobus diſtinctis libris adduxiſſet teſtimonia. Illud conſtat feciſſe illum & de indigenis commentarios, [r] & Faſtorum libros aliquot: [s] & memorabilium complures: nam ſeptimum & undecimum citat Agellius. [u] Huc pertinere arbitror quæ ex Maſurio ad ſcientiam auguralem pertinentia affert Plinius, [x] & quæ ad triumphos eorumque morem, itemque ad hiſtoriam & antiquitatem Romanam ſpectantia apud eundem extant: ut cum notat triumphantes quandoque myrtea corona uſos, & alia id genus. [y] Fruſtra enim eſſe Bertrandum, qui nobis librum Sabini de triumphis Romanorum obtrudere conatur, Agellius oſtendit, [z] dum ex libro Memorabilium undecimo quædam de civica corona affert, quæ plane genuina ſunt, iſtis Plinii locis unde librum de triumphis Romanorum confinxit Bertrandus. Præterea fecit & libros ad Edictum Prætoris urbani quorum quintus à Paulo citatur. [a] Refert & Sabinum in adſeſſorio Ulpianus, [b] quod non male de libro adſeſſorii intelligemus. Scripſit ad Vitellium libros quam plurimos. [c] Reſponſa quoque ejus ſæpiſſime à Juriſconſultis poſterioribus laudantur, quæ in duos pluresve libros conjecit. [d] Notas ad libros Sabini ſcripſerunt Pomponius, Ulpianus & Paulus

o *L.* 43. §. 3. *de Furtis.*
p *Agel. lib.* 5. *c.* 13.
q *Agel. lib.* 11. *c.* 18.
r *Agel. lib.* 4. *c.* 9.
s *Macrob. lib.* 1. *Saturnal.*
t *L.* 144. *de verb. ſign.*
u *Agel. lib.* 4. *c.* 20. *&* *lib.* 5. *c.* 6.
x *Plin. lib.* 10. *c.* 7.
y *Idem lib.* 15. *c.* 29 *&* 30. *lib.* 16. *c.* 18. *& fin.*
z *Agel. lib.* 5. *c.* 6.
a *L.* 18. *de oper. lib.*
b *L.* 5. §. 8. *de injur.*
c *L.* 45. *de leg.* 3.
d *L.* 4. *de leg. Rhod. de jact.*

e L. 6. de usu & hab. ut ex indice liquet, itemque Aristo, e ut Ulpianus testatur.

M. Coccejus M. F. Nerva (sunt enim hæc unius nomina, ne quis cum Sebastiano de Medices duos inde efficiat Jurisconsultos) fuit Pater Nervæ Junioris, qui etiam inter Jurisconsultos recensetur, avus vero Nervæ Imperatoris, ipse *scientia Juris illustris*, ut eum Frontinus appellat. f Putat Cuspinianus hunc nostrum Jurisconsultum Consulem cum L. Gellio anno 717. temporibus Augusti, fuisse: & Fasti quidem Coccejum eo loco agnoscunt, sed is ut noster fuerit, temporum ratio non permittit, neque enim credibile est eum totis sexaginta & octo annis post Consulatum suum vixisse: quod fateamur necesse est, si hunc Nervam ejus anni Consulem facimus. Potius itaque patrem Jurisconsulti nostri Consulatu tunc functum putem & eundem esse quem Appianus narrat cum Antonio & Cæsari esset amicus, reconciliationem eorum summa cum prudentia procurasse. g Cum autem Tacitus Jurisconsultum Nervam Consularem vocet, deque ejus Consulatu in Fastis neque vola neque vestigium appareat, dicendum est eum suffectum gessisse Magistratum. Tempus quoque Consulatus à Nerva gesti (quod apud alios incertum est) ex veteri inscriptione apud Smetium relata eruimus, ea sic habet,

f Front. lib. 2. de aquæduct.

g Appian. lib. 5. bell. Civil.

> *Ti. Cæsar. divi Augusti, F. Augustus*
> *Pont. Max. Imp. VIII. Tribun. pot. XXIV. dedit,*
> *C. Vibio Rufino M. Coccejo Nerva Coss.*

Unde discimus Jurisconsultum nostrum circa nonum Tiberii annum qui ordinarios Consules habet C. Asinium suffectum fuisse: cum enim eo anno quo Augustus

ſtus obiit, Tiberius XV. tribunitiæ poteſtatis annum egerit, ſicut ex Faſtis conſtat, ſequitur, ut ad numerum quem inſcriptio præ ſe fert explendum, novem omnino anni de Tiberii imperio ſint adjiciendi. Itaque ratione non caret, quod homo verſutiſſimus Tiberius hunc Nervam tanti viri filium, virum conſularem, conjunctiſſimum ſibi habuerit & amicorum omnium proximum: eique curationem aquarum poſt Satrium Rufum demandaverit [h] imo & Capreas ſecum abduxerit, ut ex hoc loco, patet, *unus Senator Conſulatu functus Coccejus Nerva, qui legum Peritia, Tiberium (Capreas euntem) comitatus eſt.* [i] De morbo ejus elegans extat apud eundem Tacitum locus quem adſcribere non pigebit, [k] *Haud multo Poſt* (anno videlicet 785) *Coccejus Nerva continuus Principis, omnis divini humanique juris ſciens integro ſtatu, corpore illæſo, moriendi conſilium cepit, & tandem abſtinentiam cibi conjunxit*; atque ita è medio ſublatus eſt, ſubdit deinde, *Ferebant gnari cogitationum ejus, quanto propius mala Reip: viſeret, ira & metu, dum integer, dum intentatus honeſtum finem voluiſſe.* Succeſſit autem Nerva Labeoni, & cum Sabino veteres Labeonis ac Capitonis controverſias auxit. Scripſiſſe Nervam hunc aliquos in jure libros deprehenditur ſatis aperte, [l] ſed quot & quales non expedio. Referuntur aliquoties ejus reſponſa in Pandectas, aliquando etiam à poſterioribus Juriſconſultis ipſe refellitur, [m] aliquando & deridetur, ut cum docuit ſervos propter penſionem obligatos per feneſtram liberari poſſe. [n]

C. Caſſius Longinus, ſucceſſit Maſurio Sabino, quem propterea magiſtrum ejus nominat Paulus, [o] addit-que eum minus commodè à Sabino dicta bene excuſaſſe: hinc ejus ſcholæ ſectatores promiſcuè Sabiniani

h *Front. d. l.*

i *Tacit. lib. 4. ann.*

k *Idem. lib. 6. ann.*

l *L. 2. §. 28. nequid in loc. publ.*

m *L. 3. de uſuf. ear. rer. quæ uſu conſ.*

n *L. 9. in quib: canſ. pign.*

o *Lib 19. §. 2. de recept. qui arbit.*

& Cassiani appellantur, [p] Fuit hic noster oriundus ex Patritia & quidem nobilissima Cassiorum familia, habuit & proavum maternum Servium Sulpitium, & matrem Tuberonis, supra memorati filiam. Is temporibus Tiberii cum Quartino Consul fuisse à Pomponio traditur, neque audiendus hic vir optimè de litteris meritus Justus Lipsius, dum in suis ad Tacitum notis eum falsi tentat arguere. Fuit sane & L. Cassius circa Jurisconsulti nostri tempora, quem Tacitus Drusillam in matrimonio habuisse testatur, [q] his verbis, *Cassius Plebei Romæ generis verum antiqui honoratique & severa patris disciplina educatus facilitate sæpius quam industria commendabatur: hinc Drusillam Germanico genitam conjunxit Tiberius:* eundem *Lucium Cassium Longinum* Consularem appellat Suetonius, [r] quare is non immerito cum M. Vinicio Consul anno 782. fuisse videtur, cum præsertim Cassiodorus Lucii hic nomen agnoscat. Et forte hic fuerit Cassius ille quem Asiatium Proconsulem Caligula monitus sortibus Antiatinis ut à Cassio caveret occidendum delegavit: [s] poterat enim aliqua conspirationis suspicio facile cadere in eum à quo sororem suam quæ uxor ipsi erat, abduxisse se sciebat Caligula, solent enim homines, sibi maximè ab iis quos injuria affecerunt timere. Ex quibus omnibus recte colligitur Jurisconsultum nostrum anno 782. cum M. Vinicio consulem non fuisse: sed inde tamen non sequitur, ut Lipsius putat, Pomp: scribentem eum cum Quartino Consulatum gessisse, manum nobis adiisse. Forte enim Quartinus iste diversus à M. Vinicio est: quam conjecturam adjuvat quod huic Vinicio neque à Tacito, dictis locis neque à Fastis, neque à Vellejo, qui ei librum suum dedicavit, Quartini cognomen additur.

p *L. 2. de orig. jur. §. fin.*

q *Tac. lib. ann. 6.*

r *Suet. in vita Calig. c. 24.*

s *Suet. in vita Calig. c. 57.*

ditur. Deinde ut demus M. Vinicium Quartini nomen habuisse, potuit idem diversis Temporibus L. Cassii Longini & C. Cassii Jurisconsulti in Consulatu fuisse collega. Neque id mirum cuiquam videri potest in tanta suffectorum Consulum multitudine, præsertim cum in Fastis Cassiodori tertio anno postquam M. Vinitius & L. Cassius eum gesserunt honorem, iterum Vinitii & Longini nomen occurrat: & hactenus quidem Pomponii nostri fidem à viro doctissimo immerito laceratam, sartam tectam servasse sufficiat. Cæterum graviter in hujus Jurisconsulti vita describenda fallitur Bertrandus, dicens tribunal ejus propter nimiam Sævitiam *scopulum reorum* dictum fuisse: nimirum toto cælo & sæculo aberrat, pertinet enim illud ad L. Cassium qui tempore M. Antonii Oratoris circa annum 640. Præturam exercuit, ut nos Valerius Maximus à Bertrando non satis attentè lectus in loco quem ipse respexit, apertè docet. [t] Sed ut ad rem redeamus, præfuit Jurisconsultus noster sub Imperio Claudii Provintiæ Syriæ, & Meherdatum Parthum in regnum suum ad ripam Euphratis deduxit, eique Consilia suggessit plane salutaria, ut Tacitus pluribus prosequitur: illud Cassii nostri elogium omittere religio fuit: *ea tempestate Cassius cæteros præeminebat peritia legum; nam militares artes per otium ignotæ, industriosque & ignavos pax in æquo tenet. Attamen quantum sine bello dabatur, revocare priscum morem, exercere Legiones cura, provisu, agere perinde, ac si hostis ingrueret: ita dignum majoribus suis & familia cassia ratus, per illas quoque gentes celebrata.* [u] Meminit ejusdem ut Judeæ præsidis Josephus, [x] ubi controversiam ejus, tempore de schola sacerdotali inter Romanos & Judæos ortam recenset. Commemorat Tacitus hujus [y]

[t] *Val. Max. lib. 3. c. 7.*

[u] *Tacit. lib. ann. 12.*
[x] *Joseph. lib. 20. c.* [y]

noſtri Juriſconſulti liberam eoque nobiliorem ſententiam, quod eam Nerone rerum potiente dixit, *ſi pro benignitate fortunæ Diis grates agerentur, ne totum quidem annum ſupplicationibus ſufficere: ideoque oportere dividi ſacros & negotioſos dies, queis divina colerentur & humana non impedirentur.* y Potuit hic in civitate multum ſed ſeverior Paulo fuiſſe videtur quam iſta ferrent tempora, quare cum ſeditioni Puteolanæ compeſcendæ eſſet delectus, ſemet excuſavit, ut idem Tacitus docet; qui & alibi inſerit egregiam ejus & antiquæ diſciplinæ orationem contra ſervitia quæ Domino ſuo viro conſulari à conſervis occiſo opem non tulerant, z Tandem hic noſter etiam luminibus captus eſt, neque propterea Neronis infenſum animum evitavit, hoc tamen cæcitas ei boni attulit quod calamitatem bonorum omnium ſolus non vidit. Hac de re ita Suetonius. a *Caſſio Longino Juriſconſulto ac luminibus orbato objectum eſt quod in veteri gentili ſtemmate C. Caſſii percuſſoris Cæſaris imagines reſtituiſſet*: & Tacitus b objectavit (Nero) *Caſſio quod inter imagines majorum etiam C. Caſſii imaginem coluiſſet, ita inſcriptam* DUCI PARTIUM: & poſtea *Tunc Senatuſconſulto Caſſio & Silano exſilia decernuntur, de Lepida Cæſar ſtatueret. Deportatuſque in Inſulam Sardiniam Caſſius, nec Senatus Juſſus expectabatur.* Ita ego huic vulneri mederi poſſe exiſtimem, à quo vir eruditiſſimus Juſtus Lipſius in ſuis ad illum auctorem notis manum abſtinuit, cum antea legeretur, *& ſenatus jus exſpectabatur.* Hoc enim voluit Tacitus poſtquam Senatus Conſulto exſilium generali vocabulo Caſſio eſſet decretum, nam præfinito certo aliquo loco intra quem ſe continere deberet, quem Senatus ſuo arbitrio reſervaverat milites Neronianos Caſſium Juſſit Principis, non exſpectato

y Tacit. lib. ann. 13.

z Idem lib. 14.

a Suet. in vita Ner. c. 37.

b Tac. lib. 16.

ſpectato Senatus imperio, in peſſimi cæli inſulam, quo certius periret, deportaſſe: Sardinia enim peſtilentia aëris infamis erat, hinc illud Poëta

Cum Mors
Venerit in medio Tibure Sardinia eſt. c

c *Martialis lib. 4.*

Aliter tamen quam Nero ſperaverat res cecidit, vixit enim ibi aliquam diu Juriſconſultus noſter, donec temporibus Veſpaſiani revocaretur, quo imperantie honori & patriæ reſtitutus placidè expiravit. d Quanto in honore apud poſterioris ævi homines fuerit Juriſconſultus noſter abunde teſtatur Plinius ſecundus in hoc loco. *Lætor quod domus aliquando C. Caſſii ſerviet Domino non minori, & poſt, jam tantus orator inde procedet, quantus ille Juriſconſultus.* e Scripſit autem Caſſius libros juris civilis decem aut plures, decimus certe in Pandectis citatur: f notaſſe etiam ad Vitellium deprehenditur. g Male autem Bertrandus hunc Caſſium ad Urſejum ſcripſiſſe refert, cum potius Urſejus ferox ad Caſſium notaverit, ut infra oſtendimus. Certe Ariſtonem h & Javolenum i ad Caſſium notas ſcripſiſſe argumentis minime dubiis probatur.

d *L. 2. de orig. jur.*

e *Plin. Ep. lib. 7.*

f *L. 10. de uſufruct.*

g *L. 12. §. 27. de Inſtruct. vel Inſtrum. leg:*

h *L. 17. §. 1. de uſufr:*

i *L. 28. §. 1. de ſtatut.*

CAP.

CAP. II.

Proculus, prænomen Sempronii habuit, præfectus an fuerit; an ejus nominis Jurisconsultus sub Alexandro vixerit, ejus scripta. Attilicinus, defensus Pandectarum textus, error Gothofredi: Nerva filius, ejus scripta; de altero Cassio Longino conjectura: Cælius Sabinus, an dictus Cæcilius; Pegasus: Celsus pater, honores ab eo gesti, Javolenus, Consul an fuerit, dubia ejus sanitas, conjectura circa locum Capitolini.

Sempronius Proculus successit Nervæ sub finem principatus Tiberii: male enim Sebastianus de Medices filium Nervæ facit, contra mentem Pomponii. [a] An hic ille sit, quem præfectum Prætorio temporibus Othonis fuisse tradit Tacitus, [b] affirmare non ausim, sunt enim quædam non ineptæ in eam sententiam conjecturæ Rutilii & Bertrandi. Certe hic noster Sempronius dictus est, [c] alter ille ubique à Tacito Licinius Proculus appellatur: noster Juris scientia clarus fuit, alter ille à Tacito, qui id genus elogia omittere minime solet, hoc nomine non celebratur. Neque movet me quod Pomp: in d. l. 2. dicit, Proculi auctoritatem majorem fuisse, quia etiam plurimum potuit: nam tantundem dicit de Cælio Sabino, qui tamen præfectus urbi non fuit. Posset quidem is locus ita exponi; ut Proculum majores honores gessisse intelligamus, quam aut Longinum Juniorem aut Nervam filium, de quibus ibi sermo est. Sed potius est ut dicamus, eum majoris fuisse auctoritatis, quia propter eximiam ejus juris peritiam ab omnibus colebatur tanquam totius oraculum civitatis. Dicitur certe divis fratribus non levis juris auctor, [d] & Proculianæ sectæ nomen dedit, quæ in multis capitibus à Sabinianis dissensit; eorum aliqua com-

a *L. 2. de orig. jur.*

b *Tac. lib. 1. & 2. hist.*

c *L. 47. de legat. 2.*

d *L. 17. de jure Patr.*

commemorat hoc loco Bertrandus. Nos & illa, & diversorum, qui Proculi dicti sunt, nomina, ab ipso & Rutilio relata ut aliena prætermittimus. Unum monebo perperam inter Consiliarios Alexandri à Lampridio [e] Proculum referri; neque est quod alium illius sæculi Proculum operosè quæramus, cum is auctor contra historiæ fidem illic loci omnium fere alicujus celebritatis Jurisconsultorum nomina, quasi per saturam collegerit. Scripsit autem Proculus Epistolarum libros octo, ut index præ se fert, vel potius undecim, ut ex aliis locis constat, quorum omnium inscriptiones suspectæ esse non possunt. [f] Ideoque Catalogus Pandectis præfixus in numero ad istum modum corrigendus est. Notavit etiam ad Labeonem Proculus, [g] fuitque ultimarum voluntatum indagator & defensor egregius, nam plerumque mentem testantis potius quam figuram verborum secutus videtur. [h] Notavit ad Proculum Ursejus ferox. [i]

Attilicinus quoque (à Pomponio præteritus) circa eadem tempora floruit, consuluit enim Proculum per Epistolam, [k] & citantur sæpe convenientes eorum sententiæ, unde eum inter Proculianos referendum conjicio. Neque propterea mirum cuiquam videri debet Attilicium idem cum Sabino aliquando respondisse, nec Bertrando accedere debemus quendam Digestorum locum hac in parte corrigenti: [l] solebant enim diversæ scholæ auctores, quando de capitibus inter ipsos controversis non erat quæstio, in eandem respondere sententiam, sic & alibi noster cum Sabino & Cassio, [m] itemque cum Nerva [n] & Sabino conjungitur. Refert autem Attilicinus egregium Cæsaris Augusti rescriptum, [o] de eo enim locum istum intelligi debere, argumento est, quod mentio inibi fit Statilii

[e] *Lamprid. in vita Alex.*

[f] *L. 69. de Cont. Empt. l. 12. de præscr. verb. l. 17. de pact. dotal.*

[g] *L. 10. §. de neg. gest. l. 69. de Cond. & dem.*

[h] *L. 116. de verb. sig.*

[i] *L. 11. de aqua & aqu. pl.*

[k] *L. 17. de pact.*

[l] *L. 6. §. 4. Comm. Div.*

[m] *L. 52. §. fin proc.*

[n] *L. 49. ad leg. Fal.*

[o] *L. 35. de serv. rust. pr.*

Tauri, qui sub Octaviano aliquoties Consul fuit, ut ex Fastis & aliunde discimus. [p] Errat itaque Gothofredus qui pro Tauro Statilium Severum reponit. Fuit certe & alius eo nomine, verum is sub Trajano vixisse ostendi facile potest: [q] ita ut Jurisconsultus noster ejus meminisse non potuerit. Citatur aliquoties à Jurisconsultis posterioribus hic Attilicinus ut Neratio, [r] itemque Juliano, Pomponio, Ulpiano, Paulo multis in locis, fecit & ex sententia ejus constitutionem Imperator Justinianus, [f] quod indicat magnæ eum auctoritatis fuisse.

p *L. 13. de Sc^o. Silan.*

q *§ plane Inst. de milit. Test:*

r *L. 5. de serv. rust. præd.*

f *Inst. de hæred. Instit.*

Coccejus M. F. M. N. Nerva, pater Nervæ Imperatoris, Proculi coætaneus fuit, patri enim suo circa ea tempora successisse memoratur. [t] Invenio apud Tacitum Coccejum Nervam sub Nerone prætorem designatum fuisse, atque ab eo ita sublatum, ut super triumphalem *in foro imaginem, apud palatium effigies quoque ejus sisteretur.* [u] Quod huic nostro tribuendum temporum series ostendit. Narrat & Ulpianus eum septendecim annos natum, aut certe ætate non multum majore, publicè de jure responsitasse. [x] Nos maturum in tanta juventute ingenium venerantes, nihil præterea de eo notatu dignum reperimus, nisi quod & librum de usucapionibus teste Papiniano composuit. [y] Is ad differentiam patris supra à nobis memorati, Nerva filius appellari consuevit, quo nomine à Gajo, Pomponio, Venulejo, Ulpiano, Paulo, citatur.

t *L. 2. de orig. jur. §. fin.*

u *Tac. lib. 15. anal.*

x *L. 1. §. 3. de Postul.*

y *L. 47. de acq. vel am. poss.*

Cassius Longinus diversus à magno C. Cassio Longino, cujus vitam supra attigimus, à Pomponio inter Jurisconsultos hujus sæculi refertur, qui & eum ad Præturam usque pervenisse testatur, [z] plura nec ille addit, neque ego invenio: & forte à sciolo quodam qui alterius quoque Longini circa hæc tempora mentionem

z *L. 2. de orig. jur. §. fin.*

nem fieri meminerat, adjecta sunt hæc verba, fuit & alius *Longinus ex equestri quidem ordine*, ut quod de Prætura postea dicitur, ad Nervam filium sit referendum.

Cælius Sabinus, & ipse Jurisconsultus non è minimis successit Cassio Longino & temporibus Vespasiani plurimum potuit: [a] sub Othone vero etiam Consul fuit, ut ex Tacito liquet, dum ait *Cælio ac Flavio Sabinis in Calendas Julias & Augustas, consulatum destinavit Otho, quorum honoribus ne Vitellius quidem victor interceſſit.* [b] Forte & res fortuita huic nostro Sabino Vespasiani conciliavit amicitiam, & exinde auctoritatem, quod eo tempore quo Sabinus Consulatum iniit, Vespasiani cæperit Principatus, adactis in ejus verba Legionibus quæ Antiochiæ erant, teste Tacito. [c] Meminit hujus Cælii nostri Agellius, cujus verba ob elegantiam adscribere non pigebit, *Pileatos Servos, venum solitos ire quorum nomine venditor nihil præstaret, Cælius Sabinus Jurisperitus scriptum reliquit. Cujus rei causam esse ait quod ejusmodi conditionis mancipia insignia esse in vendundo deberent ut emptores errare & capi non possent.* [d] Quamquam autem illic loci auctor non addit ex quo Sabini libro ista sunt desumpta, possumus tamen aliunde, ubi idem auctor narrat Sabinum librum de Edicto Curulium scripsisse, [e] non ineptè suspicari, ex eodem & superiore esse desumta, cum ejus loci sit tractatus de vendundis mancipiis. Neque obstat quod Agellius eum qui de Edicto Ædilium scripsit Cæcilium appellat, videtur enim Cælii & Cæcilii idem nomen esse ut supra in Publicio Gellio demonstravimus, ubi & argumentis Bertrandi contra hanc sententiam allatis satisfactum est. Confirmat opinionem nostram non leviter Gaji Jurisconsulti locus, [f]

[a] *L. 2. de orig. jur.*
[b] *Tacit. lib. 1. histor.*
[c] *Tac. lib. 2. histor.*
[d] *Agel. lib. 7. c. 4.*
[e] *Idem lib. 4. c. 2.*
[f] *L. 20. de ædil. Ed.*

qui in quæstione de redhibendo mancipio Cælii Sabini auctoritatem allegat: unde apparet eundem esse Jurisconsultum, quem Venulejus [g] & Ulpianus [h] sub eodem titulo Cælium simpliciter sine ulla adjectione appellant. De Sennio Sabino qui sub Hadriano vixisse deprehenditur, [i] aliisque qui aut Cœlii aut Sabini dicti fuerunt nihil hic addo. Plura in jure scripta feciſſe Cœlius noster videtur, [k] sed eorum nomina (præter supradictum librum de Edicto œdilium) omnino perierunt.

g *L. 65. de ædil. Ed.*
h *L. 14. 17. 38. ibid.*
i *L. 1. de quæst.*
k *L. 72. §. 7. de Cond. & dem.*

Pegasus succeſſit Proculo circa tempora Vespasiani sub quo & Consul suffectus fuit cum Pusione, quando Senatusconsultum Pegasianum conditum est, cujus Justinianus meminit. [l] Fuit & temporibus Vespasiani præfectus urbi, ut ex Pomponio [m] liquet; itemque sub Domitiano sicut testantur hi versus egregium Pegasi elogium continentes, [n]

l *Sed quia 6. de Fideic. hæred.*
m *L. 2. de orig. jur.*
n *Juvenalis Sat. 4.*

Raptâ properabat ab ollâ
Pegasus, attonitæ positus modo villicus urbi:
Anne aliud tunc præfecti? quorum optimus atque
Interpres legum sanctissimus omnia, quanquam
Temporibus diris, tractanda putabat inermi.
Justitiâ.

Scripsisse eum de jure quædam, & respondisse sæpissimè ex multis aliorum Jurisconsultorum locis apparet, neque tamen certi quid de scriptorum titulis constat, videtur certe aliquoties de Controversiis ad jus publicum pertinentibus consultus fuisse. [o] Citatur à Valente, Pomponio Gajo, Papiniano, Paulo, semel atque iterum, ab Ulpiano sæpiusculè.

o *L. 7. §. 1. de Senat. l. 41. de acq. rer. dom.*

Juventius Celsus, pater Celsi junioris refertur à Pom-

Pomponio inter Juriſconſultos Proculianos nam eum Pegaſo ſucceſſiſſe tradit. Prænomen hujus viri mihi nondum compertum eſt, certe Juventii nomen gentilitium fuiſſe reor, utpote ſub vetere Rep:, non ignobile, quare ea nota filium Celſum à patre diſtingui, ut quidam arbitrantur, mihi veriſimile non fit. Memorantur in hiſtoria Romana aliquot Celſi, Dio etiam narrat fuiſſe eo nomine quendam qui in Domitianum conjuraverat, [p] ſed id an noſtro Juriſconſulto conveniat merito dubito. Occurrit etiam in Spartiano nomen Celſi cujuſdam conſularis, qui Hadriano Imperium cæptante cæſus ſit. Ego & hoc à noſtro quem Conſulem fuiſſe nuſpiam invenio, alienum eſſe arbitror. Certe hunc in Conſilio Duceni Veri conſulis fuiſſe teſtatur Celſus filius, [q] & forte hic ille Verus fuerit, quem anno ante exceſſum Veſpaſiani cum Silvano conſulem fuiſſe auctor eſt Caſſiodorus. Videtur etiam hic Celſus temporibus Trajani Præturam geſſiſſe, meminit etiam Plinius Novocomentis rixæ cujuſdam, quæ inter nepotem Licinium & Prætorem Celſum in ſenatu magna animorum contentione acta eſt; ita ut Celſus nepoti ex libello reſponderet, & Celſo nepos ex pugillaribus. [r] Meminit porro & Patris ſui Celſus Junior alio in loco: [s] citat eundem cum Ariſtone Neratius, [t] & Ulpianus [u] quibus in locis cum ſemper hic Juriſconſultus Celſus pater appelletur, colligi inde non abſurdè videtur ſcripta illa quæ in Pandectas relata ſunt ſub Celſi nomine, ad filium potius referri debere, ſicut hæc ei adjudicaverunt viri eruditiſſimi.

Javolenus Priſcus, Cælio Sabino à Pomponio dicitur, [x] fuit igitur Sabinianus vixitque paulo poſt Veſpaſiani tempora. Geſſiſſe hunc noſtrum Juriſconſultum in Africa & Syria Proconſulatum ſatis ſubtiliter

p *Xiphil. C. Dione lib. 67.*

q *L. 29. de leg. 2.*

r *Plin. lib. 6. Epiſt. 5.*

s *L. 20. de leg. 2.*

t *L. 39. mandati.*

u *L. 4. §. 7. de cond. cauſ. dat.*

x *L. 2. de orig. jur.*

y *L. 5. de Manum. Vind.*

ex quodam Juliani loco y demonstrat Bertrandus. Quæsitum enim refert Julianus an is qui manumittere volentibus Consilium præbet, ipse apud se manumittere possit? Et ait id aliquando à se in consulatu & Prætura factitatum, exemplo Javoleni qui id in Africa & Syria fecerat. Notum autem est majores tantum Magistratus ut Consules, Proconsules, Præsides, Prætores, consilia præbuisse manumittere volentibus, & manu servos misisse, quod voluntariæ erat jurisdictionis, sicut ex variis Pandectarum locis Constat. z Fuerunt quidem & alii, qui majoribus istis Magistratibus consilia præberent, Romæ quidem quinque Senatores & quinque equites Romani, a sed illi manumittere non poterant, quia manumittendi actus erat proprius majoris potestatis; non poterat itaque ad quæstionem à Juliano propositam Javoleni exemplum adaptari, nisi ipse majorem gessisset Magistratum. Quibus si addatur ipsius Juliani exemplum id sibi in consulatu & Prætura usu venisse asserentis, jam dubium erit nullum, quin Javolenus, si non eadem, ac pari certe dignitate functus sit, ne fateri cogamur comparationem ab ipso institutam in dissimili facti specie claudicare. Idem convincitur ex Plinii Junioris ad Priscum (qui noster videri potest) epistola, b dum dicit, *Regis exercitum amplissimum, hinc tibi beneficiorum larga materia.* Ad juris scientiam quod attinet, fuisse Javolenum Juliani Magistrum ex allegato loco discimus: postremis tamen vitæ temporibus dubiæ sanitatis fuit, ut ex hoc loco constat. c Cum Passienus Paulus elegos recitaret, *ita cæpit dicere, Prisce jubes: ad hoc Javolenus Priscus (aderat enim ut Paulo amicissimus) ego vero, non jubeo. Cogita qui risus hominum, qui joci, quod est omnino Priscus dubiæ sanitatis: interest tamen Officiis,*

z *L. 2. de off. præs. l. 1. de off. cons. l. 2. de off. proconsul. Ulp. in fragm. Tit. de Libertis 1.*

a *Ulp. d. loc.*

b *Plin. lib. 2. Ep. 5.*

c *Plin. lib. 6. Epist. 15.*

Officiis, adhibetur Consiliis atque etiam jus civile respondet: quo magis quod tunc fecit & ridiculum & notabile fuit. Unde vix credibile mihi fuit Javolenum nostrum (ut Rutilius & Bertrandus autumant) ad usque Divi Pii tempora ætatem produxisse: ut enim demus Plinii illam Epistolam sub extrema Trajani tempora scriptam fuisse, quod tamen fateri nulla cogit necessitas, verisimile non est eum qui tunc temporis dubiæ sanitatis fuerit, & tantum non deliraverit, per totum Imperium Hadriani viginti & amplius annis ea vixisse valetudine, ut successori ejus consilia præbere potens fuerit: quod tamen hic Capitolini locus indicat; *multa de jure sanxit, ususque est jurisperitis, Vindio Vero, Salvio Valente, Volusio, Mætiano, Ulpio Marcello, & Javoleno.* [d] Quare dictum locum de alio quodam Javoleno, forte hujus nostri filio, intelligendum puto, nisi in Capitolino mendum subesse dicimus & pro Javoleno legendum putamus *Juliano*, qui ejus imperium attigisse infra à nobis demonstrabitur: sed de tota hac re videndus acutissimi Judicii Casaubonus in suis ad Capitolinum notis. Cæterum Javolenum nostrum scripsisse libros quindecim ex Cassio, itemque Epistolarum quatuordecim, & ad Plautium quinque, constat ex indice Pandectis præfixo, contraxit & in Epitomen libros posteriores Labeonis, ut ex multis inscriptionibus patet: imo & ad Labeonem notasse reperitur. [e]

[d] *Capit. In vita D. Pii.*

[e] *L. 42. de liber. caus.*

CAP.

CAP. III.

Neratius Priscus, ejus auctoritas: Consulatus ab eo gestus, frater ejus Marcellus, scripta: Aristo, ejusque laus de longævitate ejusdem, an Juliano responderit? Scripta ejus: Celsus filius, Consul quando fuerit, de suffectis Consulatibus, scripta Celsi; Aburnus Valens.

NEratius Priscus, vir lectissimus moribus & insigni juris peritia, successor Celsi patris, & proinde Proculianus, sub Trajano & Hadriano floruit. Quanti eum Trajanus fecerit, apparet quidem ex quodam Papiniani loco, [a] ubi is Princeps Neratii Consilio usus fuisse perhibetur: sed manifestius testimonium exhibet spartianus dum ait, *Frequens sane opinio fuit Trajano id animi fuisse ut Neratium Priscum non Hadrianum successorem relinqueret, multis amicis in hoc consentientibus usque eo ut Prisco aliquando dixerit, commendo tibi Provintias si quid mihi fatale acciderit.* [b] Hadrianus tamen artibus præcipuè Plotinæ in imperio prælatus, Neratium summo in honore habuit, quod argumento est tanta fuisse eum probitate, ut posthabitus extra omnem vindictæ suspicionem esset: tantaque prudentia, ut Hadrianus in administranda Rep: ejus consiliis indigeret. Fuit autem & Consul teste Pomponio, [c] sed de tempore quo eum honorem gesserit variant auctores. Ego eum cum Annio Vero consulem fuisse reperio, [d] cum itaque ex Dione constet Annium Verum ter consulatum gessisse, & primo quidem cum Silvano sub Imperio Vespasiani, iterum cum Augure primo Hadriani anno, sicut ex Fastis discimus, restat ut tertii consulatus collega fuerit Neratius noster. Quod quidem ego sexto Hadriani anno contigisse arbitror,

a L. 5. *si à parente quis manum. fu.*

b *Spart. in vita Hadr.*

c *L. 2. de orig. Jur.*

d *L. 6. ad Leg. Corn. de fic.*

arbitror, quo loco Caſſiodorus Verum & Ambiguum habet, alii vero auctores Verum III. & Ambibulum agnoſcunt teſte Cuſpiniano ad dictum annum. Fratrem habuit hic Juriſconſultus Neratium Marcellum, ut ex hoc loco patet, *Denique Neratius libro 4°. Epiſtolarum Marcello fratri ſuo reſpondit*: [d] quem & ipſum cum Celſo juniore Conſulatum geſſiſſe aliunde probari poteſt ut infra in Celſo videbimus. [e] Meminit ejuſdem Marcelli ut viri clariſſimi Plinius Junior in quadam ad Tranquillum, cum ab Marcello tribunatum impetraverat, Epiſtola. [f] Sed redeundo ad Neratium noſtrum, ſcripta ejus juridica hæc ſunt: Regularum libri quindecim; cum J. Membranarum 71 Reſponſorum 3: Epiſtolarum aliquot, quartus certè ſuperius citatur: [g] refertur & Neratii ad Ariſtonem Epiſtola. [h] Scripſit & librum de nuptiis, unde aliqua ad ſponſaliorum ſolemnitatem ſpectantia promit Agellius. [i] Videtur & notaſſe ad Fulcinium, [k] itemque ad Plautium. [l] Rurſus ad Neratium notavit Juriſconſultus Paulus, ut ex indice multarumque ſegum inſcriptionibus patet: meminerunt autem ejus omnes fere Juriſconſulti poſteriores.

d *L. 12. §. 43. de Inſtruct & Inſtr. leg.*
e *L. 3. C. de ſerv. reip: manumitt.*
f *Plin. lib. 3. Ep. 7.*
g *D. l. 12. §. 43.*
h *L. 19. §. 2. locati.*
i *Agel. lib. 4. c. 4.*
k *L. 43. de don. mort. C.*
l *L. 5. de ſerv. ruſt. pr.*

Titus Ariſto peritiſſimus privati juris & publici à Plinio & Agellio laudatus, neſcio cur à Pomponio ſit prætermiſſus, [m] præſertim cum ipſe ejus auctoritate aliquoties utatur. Hujus viri laudes Plinius in quadam ad Catilium Severum Epiſtola, [n] totis admetit horreis, cujus verba adſcribere operæ pretium duxi, continent enim egregiam perfecti Juriſconſulti deſcriptionem, *Nihil eſt illo gravius, ſanctius, doctius, ut mihi non unus homo ſed litteræ ipſæ, omneſque bonæ artes, in uno homine ſummum periculum facere videantur. Quam peritus ille & privati juris & publici?*

m *L. 2. de orig. jur.*
n *Plin. lib. 1. Ep. 23.*

quantum rerum? quantum exemplorum? quantum antiquitatis tenet? nihil est quod discere velis quod ille docere non possit, mihi certe quoties aliquid abditum quæro, ille Thesaurus est. Jam quanta sermonibus ejus fides? quanta auctoritas? quam pressa & decora cunctatio? quid est quod non statim sciat? & tamen plerumque hæsitat. Dubitat diversitate rationum, quas acri magnoque judicio ab origine, causisque repetit, discernit, expendit: ad hæc quam parcus in victu quam modicus in Cultu, & deinde addit. *Ornat hæc magnitudo animi, quæ nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refert: rectèque facti non ex populi sermone mercedem, sed ex facto petit. In summa non facile quis quenquam ex istis qui sapientiæ studium habitu corporis præ se ferunt huic viro comparavit.* En viri boni & Jurisconsulti eximii exemplum, qui veram illam non fucatam Philosophiam secutus, *in toga negotiisque versatus est* (ut idem Plinius subdit) *multos advocatione, plures consilio juvit:* longam etiam & pertinacem valetudinem magna patientia toleravit, filiam quoque amicam habuisse ex eadem Epistola colligitur, hujus Jurisconsulti nostri auctoritati & alibi idem auctor multum tribuit, refert enim ad eum controversiam de jure Senatorio tunc temporis ferè abstoleto, & ab ipso erudiri expetit, *qui sic jura Publica ut Privata, sic antiqua ut recentia, sic rara ut adsidua tractaret.* o Deinde & idem se virorum maximorum exemplo excusat, quod versus & faceret & recitaret. p Perveniisse hunc Aristonem ad summam senectutem, inde colligit Bertrandus, quod Cassium audiviisse legatur. q Verum illud argumentum, pace tanti viri dixerim, omnino est invalidum, Verum quidem est, quod ille ait, inter Tiberii, sub quo Cassius Consul fuit, & Trajani ætatem

o *Plin. lib. 8. Ep. 14.*

p *Idem lib. 5. Ep. 5.*

q *L. 40. de recept. arb.*

tem ſexaginta annos intereſſe, ſed oblitus videtur Bertrandus Juriſconſulti Pomponii, qui Caſſium ad Veſpaſiani uſque Imperium vitam produxiſſe teſtatur: [r] ab initio autem Veſpaſiani ad Trajanum uſque anni circiter viginti octo numerantur, ſub cujus Imperio tanti fuit nominis Juriſconſultus noſter, ut ab ipſo Imperatore in conſilium adhiberetur. [s] Fuit igitur Ariſto coævus Neratii eique ſumma familiaritate conjunctus, ita ut Epiſtolas invicem commutaverint. [t] Legitur etiam Celſo reſpondiſſe, id eſt ut ego interpretor, Celſo filio. [u] Juliano an reſponderit controverſum eſt, certe id Pandectarum locus indicare videtur, qui ſic habet *Salvius Ariſto Juliano ſalutem.* [x] Verum nomen non convenit, illic enim is qui Juliano ſcribit Salvius Ariſto vocatur, noſter autem Titus à Plinio nuncupatur, deinde & Ariſto illic loci quærere videtur, non reſpondere, quod in Juriſconſultum noſtrum non cadit. Quare ſubjiciendus eſt alius quidam Salvius Ariſto, qui Julianum conſuluerit, quæ ſententia mihi maxime arridet, cum & loco quodam Ulpiani comprobetur, [y] ubi Julianum ea ſæpiſſimè ſcripſiſſe, quæ nos ipſi tribuimus, ejuſque opinionem reſcripto Divi Pii confirmatam, ait, cujus reſcripti immediate poſt allegatum Juliani locum in Pandectis fit mentio. [z] Aut dicendum eſt hunc noſtrum fuiſſe binoninem, & hæc habuiſſe nomina, *Titus Salvius Ariſto*: atque in prima quidem parte verba Juliani conſultoris poni, in ſecunda vero reſponſum Ariſtonis recitari. Neque tamen cum Bertrando ſtatuemus Julianum ad Ariſtonem notaſſe, & emendandum locum aliquem pandectarum ubi pro *Ulpianus notat*, legendum ſit *Julianus notat*: [a] nullis enim id ſatis certis argumentis adſtruitur, & poteſt commodè is locus de

[r] *L. 2. de orig. jur.*
[s] *L. 5. ſiquis à par. man.*
[t] *L. 19. §. 2. locat. l. 3. quæ res pign.*
[u] *L. 29. §. 1. de ſtatu lib.*
[x] *L. 6. de legat. præſt.*
[y] *L. 5. §. 6. d. Tit.*
[z] *L. 7. d. T. de Leg. præſt.*
[a] *L. 9. de jur. Cod.*

Ulpiano intelligi, hoc pacto, Marcellus ex Aristone scripserat, non valere codicillos ejus qui ipse pater familias nec ne esset ignorasset; ad quæ Marcelli verba notavit Ulpianus (fecit enim ad eum notas ut infra videbimus) id ita demum verum esse nisi veteranus esset, tunc enim etiam testamentum valere. Invenitur porro Aristo scripsisse responsorum libros aliquot. [b] Putatur & de Furtis librum fecisse, aut aliqua ad eam rem pertinentia scriptis mandasse, ex hoc Agellii loco *Memini legere me in libris Aristonis Jurisconsulti haud quaquam indocti viri, apud veteres Ægyptios furta omnia fuisse licita & impunita.* [c] Collegit & Decreta Frontiana sive Frontiniana, [d] quod non male de Decretis, sub Consulatu Frontini sive Frontonis (variant enim Fasti) undecimo Domitiani anno factis, interpretabimur. Denique notavit etiam Aristo apud Cassium, [e] id est ad scripta Cassii, [f] utriusque enim locutionis exempla extant. Notavit itidem apud Sabinum, [g] sive ad Sabini scripta: [h] & ad Labeonem sicut Jurisconsultus Ulpianus indicare videtur. [i] Fecit & Digestorum libros, quorum quintus in Pandectis citatur [k] his verbis, *ut est relatum apud Sextum Pomponium Digestorum ab Aristone libro quinto.* Nam ut ex eo loco statuamus Juniorem Pomponium, cujus infra fiet mentio, Digestorum aliquot libros fecisse ex scriptis Aristonis, recti sermonis ratio vix permittit: id enim si voluisset Jurisconsultus Paulus indicare, digesta ex Aristone, non vero ab Aristone nominasset nisi corrigere eo modo Jurisconsulti verba malumus, quod opinionem refert Pomponius Junior, aliique qui eum ad Aristonem quædam notasse testantur. [l] Sed cum & Antiquioris Jurisconsulti, cui Pomponio nomen fuit, extet memoria, ut infra ostendemus, neque Di-

b *L. 8. §. 5. si serv. vind.*

c *Agel. lib. 11. c. 18.*

d *L. fin. de acq. vel om. hæred.*

e *L. 17. §. 1. de usufr.*

f *L. 7. §. 3. 16.*

g *L. 6. de usu & hab.*

h *L. 3. §. 1. de penu leg.*

i *L. 17. §. fin. de hær. inst.*

k *L. 44. Solut. matr.*

l *L. fin. de adm. tut. l. 18. de donat.*

Digestorum à Pomponio Juniore factorum usquam in Pandectis fiat mentio, ego eos libros Aristoni potius adjudicandos censeo.

P. Juventius Celsus, Filius Celsi Jurisconsulti supra à nobis memorati Proculianus & ipse propter egregiam juris peritiam inter primores censeri meretur. Is Consul teste Pomponio, [m] bis fuit. Et primum quidem ejus Consulatum ad annum Trajani duodecimum cum Cuspiniano libenter referrem, nisi obstaret tabula Maphæorum ab Onuphrio prolata, alium Celsum agnoscens, dum ita habet. *L. Publicio Celso II. Clodio Cuspino Coss.* quare aut locus iste mendosus esse dicendus est, aut assignandus Celso nostro alius consulatus suffectus. Postea sub Hadriano iterum consul fuit, anno Imperii ejus nono, & collegam habuit *Quintum sive Lucium Julium Balbum*, ut constet ex antiqua inscriptione apud Bertrandum relata, & ex Senatus Consulto istis temporibus facto. [n] Idem annus etiam duos alios suffectos consules habuit, *Neratium Marcellum* & *Galbum* ut ex dicta inscriptione patet: qui forte ab incerto auctore, à Cuspiniano relato, nominantur Marcellius II. & Marcellinus: Extant & duo alia consulum (ut videtur) ejus anni nomina, *Titus Anfidius*, *Oenus Severianus*: in supracitato Senatus Consulto. [o] Ex his tam variis multorum consulatibus, magna in historia Romana posteriorum temporum aborta est caligo & confusio, dum unus idemque annus modo ab ordinariis consulibus, modo à suffectis, modo ab ordinario uno & suffecto altero designatur: sic alibi [p] Diocletianus & Maximinianus Scti cujusdam Celso iterum & Marcello Neratio Coss. facti, cum tamen Marcellus non ordinarius sed substitutus fuerit consul. Putat Bertrandus hujus nostri

m *D. l. 2. de orig. jur.*

n *L. 20. §. 6. de petit. hæred.*

o *D. l. 20. §. 6.*

p *L. 3. C. de serv. reip. ma.*

Celsi Jurisconsulti filium temporibus Antonini promagistrum libellorum supplicum fuisse & ex officio libellis subscripsisse, idque comprobat auctoritate veteris marmoris à Rutilio & aliis descripti. Ego dubito an non id huic nostro Jurisconsulto conveniat, videtur enim illa inscriptio quæ Severi & Sabiniani Consulum meminit, ad decimum quartum D. Pii annum referenda, quo tempore ignotus auctor teste Cuspiniano, Severum & Sabinum habet: neque mirum est Celsum nostrum eousque vitam produxisse cum à secundo ejus Consulatu, ad illud usque tempus, anni circiter vigintiquimque tantum numerentur. Certe Celsum nostrum Consiliarium Hadriani fuisse satis constat ex hoc Spartiani loco, q *Quum judicaret in Consilio habuit non amicos suos aut Comites solum, sed Jurisconsultos & præcipuè Juventium Celsum* &c. Sic enim legendum, non ut antea in corruptis codicibus Julium Celsum viri doctissimi ante nos monuerunt. Scripsit autem Celsus noster Digestorum libros 39. ut ex indice Pandectis præfixo patet: esse enim hæc filii non patris, vel ipso teste discimus. r Composuit & Epistolarum libros XI. f Itemque Commentariorum libros 7. quæstionum vero 19. t Male ipsi Bertrandus, nescio quibus argumentis inductus, 20. Institutionum libros tribuit, cum nusquam eorum fiat mentio. Fuit autem in omnibus suis scriptis æquitatis observantissimus. u Ideoque jus artem æqui bonique esse prodidit, x & egregiam hanc sententiam scripto confirmavit. *In quæstionibus de bono & æquo plerunque sub auctoritate juris scientiæ pernitiose errari.* y In decidendis aliorum opinionibus multus, & natura-sarcasticus fuisse videtur. z Meminit hujus Jurisconsulti nostri coævus & Collega ejus Julianus, a aliique Jurisconsulti posteriores. *Abur-*

q *Spart in vita Hadr.*

r *L. 29. & 30. de Leg. 2.*

f *L. 3. §. 1. de minor.*

t *L. 29. §. 3. & 6. de aur. arg. leg.*

u *L. 4. §. 3. de cond. cauf. dat. cauf. non sec. l. 9. de serv.*

x *L. 1. de Just. & jur.*

y *L. 91. §. 3. de Verb. obl.*

z *L. 27. qui Test. fac. pos. l. 10. §. 1. de neg. gest.*

a *L. 13. de lib. & post.*

Aburnus Valens, sive ut Pandectæ Florentinæ legunt *Aburnius* inter successores Javoleni numeratur, fuit igitur Sabinianus sed mirum cur ante Julianum à Pomponio [b] collocetur, cum ipse Juliani responsa citet, [c] neque enim majoris ætatis Jurisconsulti Juniorum responsa ad firmandam suam sententiam solent producere. Alienus est ab hoc loco Cajus Valens quo Consule Domitianus occisus est, quod malè Cuspinianus negavit. Magis verisimilis est opinio Bertrandi qui hunc eum esse Valentem putat, ad quem Plinius Epistolam scribit, [d] sed hæc quoque mihi usquequaque non probatur, quia is ad quem ibi scribit Plinius, diserte Fabius Valens vocatur. Ego hunc nostrum Jurisconsultum sub Hadriano & D. Pio tantum floruisse arbitror ex hoc Capitolini loco, [e] *multa de jure sanxit, ususque est Jurisperitis Vindio Vero Salvio Valente* &c. Neque obstat quod ibi Salvius Valens nominatur, potuit enim iidem *Salvius Aburinius Valens* nomen esse: cum itaque D Pium Salvio Valenti rescripsisse, legemus, id de nostro hoc Jurisconsulto interpretabimur. [f] Scripsit Aburinus Valens libros 7. fideicommissorum, ut ex indice patet, itemque actionum libros 7. aut plures. [g] Meminuit ejus præter Pomponium Paulus ter, neque alius præterea.

b *D. l. 2. de orig. jur.*
c *L. 33. de minor.*
d *Plin. lib. 4. Ep. 24.*
e *Capit. in vita Pii.*
f *L. 7. de Accus.*
g *L. 15. ut in Pos. leg.*

CAP.

CAP. IV.

Arrianus, quando vixerit, error circa ejus scripta diversorum, Ursejus Ferox, notare apud aliquem, quid significet? Quando Ferox vixerit, emendatus Pandectarum textus: Fusidius, de ætate ejus investigatio: Domitius Labeo, error circa eum Rivallii & Rutilii: Valerius Servius, defensa Capitolini lectio, de ætate Valerii disceptatio.

STatui hoc capite de Jurisconsultis quibusdam, quorum ætates fere in incerto sunt, separatim agere, inter quos primo loco se offert.

Arrianus Jurisconsultus, ter ab Ulpiano, [a] bis à Paulo [b] in Pandectis non sine commendatione nominatus, qui & de Interdictis duos (forte & plures) libros composuit. Is ad quæ tempora referri debeat, inter doctos ambigitur, aliis sub Hadriano & Antonino Pio, aliis sub Alexandro ipsum collocantibus. Nos sub Trajano locum ei facere non dubitamus, hoc argumento, quod Plinius Junior, in epistolis suis Arriano scripsisse deprehenditur. Neque est quod quidam hic alium nobis Arrianum diversum à Jurisconsulto nostro subjiciant: patet enim ex ipsis Plinii verbis illum oratorem fuisse præstantem, ita ut & ab ipso scripta sua limari petierit: [c] videtur & Senator fuisse, & quidem antiqui moris vir, [d] nam ad eum Plinius vitia civitatis tanquam ad Censorem refert, [e] quæ omnia Jurisconsulto apprimè conveniunt. Solebant enim ejus ut & anterioris temporis Jurisconsulti studia litterarum & artem oratoriam cum Jurisprudentia conjungere, ut in Aristone Paulo ante audivimus: cujus forte sectator fuisse Arrianus noster non male dicetur, cum ejus sententiam contra Pegasum secutus legatur. [f]

Non

a L. 11. de petit. hæred. l. 19. de hæred. Inst. l. 1. § 4. quod legat.

b L. 5. de grad. & aff. l. 47. de obl. & act.

c Plin. lib. 1. Ep. 2. lib. 8. Ep. 21.

d Idem lib. 2. Ep. 11.

e Idem lib. 6. Ep. 2.

f L. 19. de hæred. Inst.

Non mirum itaque est si hic noster ad Hadriani usque Imperium pervenerit, quod tamen qui ex loco quodam ubi Arrianus Severus ex constitutione Divi Trajani pronuntiasse dicitur, [g] probari posse putant, frustra sunt meo quidem judicio: neque enim inde constat fuisse eum de quo ibi sermo est Jurisconsultum, sed præfectum ærarii qui de causis ad suam cognitionem pertinentibus jus dixerit: imo contrarium fuisse evincere vel ipse ille locus videtur, ubi Valens eum ex præfectura Ærarii designat, nullo addito Jurisconsulti elogio. Idem responsum accommodari potest ad alium locum, ubi Hadrianus Flavio Arriano rescripsisse legitur, [h] nam (ut omittam Flavii nomen ut & Severi ab hoc nostro esse alienum) non magis inde confici potest eum, cujus ibi mentio est, fuisse Jurisconsultum, quam Cornelium Rufum ad quem Divi fratres, & Cæcilium Maximum ad quem D. Pius ibidem rescripsisse dicuntur. Cives Romanos libellis supplicibus oblatis rescripta Imperatorum impetrare solitos ex variis Digestorum & Codicis locis notius est quam ut hic moneri debeat. Argumentum quo in eadem materia utitur Alexander Tabuardus, dum ait Arrianum alicubi D. Hadriani meminisse, [i] nullius est ponderis: patet enim ex allegati loci inscriptione non citari illic verba Jurisconsulti Arriani, sed Arrii Menandri, qui (ut infra videbimus) posteriorum temporum Jurisconsultus fuit: mendose item ex eodem aut simili loco notat Rutilius Arrianum de re militari libros fecisse, cum id ad eundem Arrium Menandrum referri debeat, ut ex infra dicendis fiet manifestum. Qui hunc nostrum Alexandri Imperatoris consiliarium faciunt, unde id hauserint nescio, nisi forte corrupti quidam Codices in Lampridii loco, ubi variorum Jurisconsultorum

[g] *L. 42. de jure Fisci.*

[h] *L. 2. §. 1. de jure Fisci.*

[i] *L. 6. §. 7. de re milit.*

memoria recenſetur, Arriani quoque nomen agnoſcant. Minus errant qui hunc noſtrum Juriſconſultum putant eundem eſſe eum Arriano Nicomedienſi Epicteti diſcipulo, errant tamen & ipſi, cum ex hiſtoriis conſtet eum ad utriuſque Antonini tempora vitam protraxiſſe, [k] quod de hoc noſtro minus veriſimiliter dici poteſt, nam ab extremo Trajani anno ad M. Antonini (quem Philoſophum dicimus) principatum quadraginta tres anni numerantur. Fuit certe Arrianus noſter æquitatis cultor egregius, atque ideo proniores nos ad liberandum quam ad obligandum debere eſſe tradidit. [l]

k *Euſeb. in Chronic.*

l *D. l. 47. de obl. & act.*

Urſejus Ferox quo tempore vixerit controverſum faciunt diſſidentes invicem Pandectarum loci, nam alibi Proculum exiſtimaſſe *Urſejus refert:* [m] alibi rurſus *Caſſius exiſtimaſſe Urſejum refert:* [n] quomodo enim viriſimile fiet à Caſſio citari hunc noſtrum Urſejum minoris nominis Juriſconſultum, cum ipſe Urſejus ad ſtabilienda ſua dogmata Proculi (qui Caſſio coætaneus fuit) auctoritatem adducat? Denique quid illud ſignificat? *Caſſius apud Urſejum ſcribit:* [o] & *apud Ferocem Proculus ait?* [p] Eſt enim ambigua illa locutio, ut & ſupra attigimus, neque certo colligi poteſt uter ex Juriſconſultis alterum præceſſerit: ſic Julianus dicitur notare ex Minitio, [q] & ad Minicium, [r] & apud Minicium, [s] ut ex inſcriptionibus diverſarum legum apparet. Sic Ariſto apud Sabinum notare ſcribitur, [t] & Marcellus apud Julianum. [u] Conſtat autem Julianum poſt Minicium, Ariſtonem poſt Sabinum, Marcellum poſt Julianum ſcripſiſſe: & ita quidem ut poſteriores illi ſiquid ab anterioribus omiſſum, vel obſcure, vel perperam poſitum judicaverint, id in notis ſuis monere, & explicare conati ſint. Contra Servius apud

m *L. 27. §. 1. ad leg. Aqu.*

n *L. 1. §. 10. quarum rer. act. non dat.*

o *L. 10. §. 5. quib. mod. uſufr. amit.*

p *L. 11. §. 2. de aqua & aquæ p.*

q *L. 61. de Rei Vend.*

r *L. 56. de pact.*

s *L. 11. §. 15. de act. empti.*

t *L. 6. de uſu & habit.*

u *L. 11. §. 5. de minor. 25. annis.*

apud Alfenum notare dicitur: [x] & apud Alfenum respondere: [y] & apud Melam scribere, [z] cum certum sit Alfenum & Melam Servio Juniores fuisse: quare iis in locis tantundem valet ista locutio ac si dicerent Juriſconsulti. Servius ab Alfeno, Mela, relatus ita notat, respondet, scribit: quæ ambiguitas quæstionis hujus decisionem intricatiorem reddidit. Ego ut ex incerto rem certam faciam, Ursejum nostrum sub Vespasiano vel circa ea tempora vixisse solidis (ni fallor) argumentis evincam. Certe ante Hadrianum floruisse vel hinc palam fit, quod Julianus quatuor notarum libros ad Ursejum Ferocem fecit, ut ex indice Pandectis præfixo, & multarum legum inscriptionibus, videre est. Rursus post Proculum & Cassium scripsisse non tantum ostendunt loci supra allegati, verum etiam alii quam plurimi [a] desumti ex Juliani ad Ferocem libris: sunt enim priora verba Ferocis, sententiam Cassii & Proculi referentis, posteriora vero Juliani ad Ferocem notantis. Unde patet verba illa, *Cassius apud Ursejum scribit, & apud Ferocem Proculus ait*, supra relata: secundo modo esse accipienda, ac si esset scriptum, Cassius vel Proculus à Feroce relatus tradit. Neque obstat huic nostræ sententiæ satis jam stabilitæ supra citatus locus: [b] est enim id vulnus transpositione duarum litterularum sanandum hoc pacto *Cassium Existimare Ursejus refert.* Male igitur Bertrandus Cassium ad Ferocem notare facit, deceptus mendosa dicti loci lectione: recte autem rejicit ut aliena quæ de Julio Feroce ipse affert. Fuit sane circa eadem tempora & Julius Ferox vir rectus & sanctus, qui temporibus Plinii consulatum gessisse, & studiis non perfunctoriè operam dedisse videtur: [c] sed is cum disertè Julius appelletur, alius ab Ursejo nostro fuerit

[x] L. 65. §. 8. *pro socio.*
[y] L. 67. *de solut.*
[z] L. 3. §. 10. *de penu leg.*
[a] *Lib.* 16. §. 1. *ad Sctum Vellej. l.* 104. §. 1. *de legat.* 1. *l.* 48. *de jur. dot.*
[b] *D. l.* 1. §. 10. *quar. rer. act.*
[c] *Plin. lib.* 2. *Ep.* 11. *& lib.* 7. *Ep.* 13.

necesse est, sed procul dubio ex eadem gente & familia.

Fufidius quoque Jc^tus meretur ut de ætate ejus disquisitionem hoc loco instituamus: ejus nomen tenebris plus quam Cimmeriis sepultum in lucem se protraxisse non immerito gloriatur Cujacius ejusque mentionem à Gajo [d] & Africano [e] fieri testatur. At nos veram ejus ætatem primi judicabimus: hallucinatur enim Jurisconsultorum decus, in eo quod Fufidium hunc nostrum eundem esse putat cum eo cujus in Bruto meminit Cicero. [f] Fuit quippe hic noster toto sæculo Junior & sub Vespasiano aut circa id tempus libros quæstionum composuit, cujus rei luculentum auctorem habemus Africanum in loco præcitato, [g] ubi hæc extant verba, *Apud Fufidium quæstionum libro secundo ita scriptum est: si mulier mandaverit tibi, ut sibi uniones usus sui causa, emeres: si tu post mortem ejus, cum putares eam vivere emeris: Atilicinus negat esse legatos ei, cui mulier ita legaverit, ornamenta quæ mea causa parata sunt eruntve: non enim ejus causa videri parata esse, quæ jam mortua ea emta fuerint* ubi cum Fufidius Attilicinum, quem coævum Proculo fuisse ostendimus, laudet, certe ante Vespasianum vixisse dici nullo modo potest: rursus si diu post Vespasianum vixisset à Gajo, qui sub D. Pio floruit allegari non posset, quod tamem fieri supra notatum est. Neque est quod quisquam in dicto loco aliqua verba Africano tribuenda suspicetur: affert enim Jurisconsultus Fufidii auctoritatem, ad stabiliendam quam ante ipse proposuerat sententiam, [h] ut rectè in suo ad Africanum tractatu idem Cujacius annotavit.

Domitius Labeo à Bernardino Rutilio Jurisconsultorum qui circa Hadriani tempora vixerunt Catalogo inse-

d L. 25. de manu: vind. l. 29. de reb: auct. jud.

e L. 5. de auro & arg. leg.

f Cujac. lib. 1. obs. 69.

g L. 5. de auro arg. legat.

h L. 2. de auro arg. leg.

inſeritur, ſed ego eum planè extirpandum cenſeo; neque ullum eo nomine Juriſconſultum fuiſſe contendo, niſi forte is fuerit Domitius, qui ſeptem de officio proconſulum libris ſupplicia Chriſtianorum recenſuit, ut in Ulpiano videbimus. Induxit Rivallium ejuſque ſectatorem Rutilium, in errorem locus quidam i ubi Comitius Labeo Celſum de jure conſuluiſſe dicitur. Verum tantum abeſt ut inde colligere poſſimus, illum conſultorem juris fuiſſe peritum, ut contrarium potius ex reſponſo Celſi appareat, dum enim ſtultam admodum quæſtionem propoſuiſſe dicit, & talem quidem ut ex inſpectione conſtat de qua nemo unquam Juriſconſultus dubitaſſet. Non juvat Rutilium locus ab ipſo (contra morem ſuum) allegatus, k ubi ab hoc Domitio Labeone, Labeonem Antiſtium citari putat, id enim verum non eſt, ſed ibi Javolenus Labeonis Antiſtii auctoritate utitur, ejuſque ſententiam cum Proculo probat. Neque novum eſt Juriſconſultum (in libris quos eum ex poſterioribus Labeonis feciſſe arguit inſcriptio) primum quæſtionem propoſitam & de ea ſententiam Labeonis promere, deinde ſuam quoque ſubjicere: ſolebant enim (ut ſtatim audivimus) Juniores ad ea quæ ex antiquiore Juriſconſulto referunt ipſi quædam notare: unde promiſcuè his locutionibus utuntur Juriſconſulti, ex aliquo ſcribere & ad aliquem notare: ſic Javolenus libro ſecundo ex Plantio, & ad Plantium citatur. l Itemque Julianus ex Minicio & ad Minicium ut ſupra diximus.

Valerius Severus, quando vixerit inveſtigat Bertrandus ſed ita ut nobis materiam notandi ſuppeditet: neque enim aſſentiri ipſi poſſum hunc noſtrum Severum ſub Divis Fratribus collocanti, cum ejus ſcripta non tantum ab Ulpiano, m ſed etiam à Juliano n citari

i *L. 27. qui Teſtam. fac. p.*

k *L. 39. & 40. § fin. de Cond. & dem.*

l *L. 4. pro emtor. l. 34. de ſtip. ſerv.*

m *L. 8. de procur.*

n *L. 30. de Neg. geſt.*

tari animadverterim. Quomodo enim Julianus edicti perpetui sublimissimus conditor Jurisconsulti longe Junioris responsa in Digesta sua retulisset? Itaque nulla urget ratio ut Capitolinum [o] cum Bertrando corrigamus, pro Vero Severum reponentes, sed retinenda est vetus lectio, atque ita legendus est locus iste, *ususque est Jurisperitis Vinidio Vero, Salvio Valente, Volusio Maciano, Ulpio Marcello, & Javoleno.* Nisi *Juliano* reponere malumus ob rationes supra allegatas. Nos potius hunc Jurisconsultum ad Trajani tempora referemus: & forte is est ad quem Plinius Junior aliquas dedit epistolas, [p] nisi eum Curium Severum dictum fuisse ex alio quodam Plinii loco putamus. [q] Quæ de Annio vel Arrio Severo, aliisque Severis subtexit Bertrandus ut ἐόν πρὸς ἔπος hic sciens prætermitto: illud non omnino prætereundum est, quod rescriptum quoddam [r] Hadriani huic nostro Jurisconsulto missum non ineptè statuitur, si pro Valerio Vero, Valerium Severum velimus reponere; certe temporum ratio non refragatur.

o *Capitol. in vita Ant:*

p *Plin. lib. 3. Ep. 6. l. 3. Ep. 12.*

q *Idem lib. 3. Ep. 18.*

r *L. 3. §. 2. de Testib.*

CAP. V.

Sextus Pomponius antiquior, defensus Pandectarum textus contra Bertrandum, & emendatus: Vitellius, ejus ætas: Priscus Fulcinius, quando vixerit: Mela, error circa eum Bertrandi: Cartilius, ejusque ætas, Aminius Rebilus: Varius Lucullus: Plautius: Servilius: Minitius Natalis: Campanus, error circa eum Bertrandi: Octavenus, ejus ætas: Vivianus; de eo conjectura: Calvisius: Lælius Felix, alius à Verronis præceptore & Gajo.

NUnc restat ut Jurisconsultorum aliquot minus nobilium vitas, qui post Augustum usque ad Imperatoris Hadriani ætatem vixerunt, sub uno quasi fasce

faſce comprehenſas oculis ſubjiciamus, & primus quidem eſto.

Sextus Pomponius, non ille qui in Indice Pandectis præfixo nominatur (nequis erret) ſed alius quiſpiam qui Paulo poſt tempora Auguſti, forte ſub Tiberio floruiſſe videtur. Meminit hujus Juriſconſulti Julianus ab Ulpiano relates in hæc verba. [a] Et ait *Julianus Sextum Pomponium referre, Sabinum reſpondentem:* unde ſuſpicari licet fuiſſe hunc unum ex auditoribus Maſurii Sabini, qui ejus reſponſa ſcripto conſignaverit: neque enim hic locus de Pomponio Juniore intelligi poteſt quia is poſt Julianum floruit, & licet æquales foret, nulla tamen ratio permittit, ut dicamus Julianum tam multis ſcriptis clarum auctoritatem Sabini, alterius & quidem ignobilioris hominis fidè, allegare, præſertim eum tam ſibi quam illi ſcripta omnia Sabini ad manum eſſent. Non ſanior eſt Bertrandi opinio, qui ut hoc abſurdum evitet, locum ſupracitatum, ita immutat, ut legendum putat ait *Sextus Pomponius Julianum réferrè ſabinum reſpondentem &c:* quæ lectio cum manuſcriptis, & ipſo etiam contextu pugnat, in quo poſt allegata verba, hæc ſequitur *& poſſe hanc ſententiam defendi Julianus* ait, cum enim in eodem genere loquendi non perſeveraret Juriſconſultus Ulpianus, ſi fide aliena Julianum ſibi familiariſſimum citaſſet? ſunt tamen & alii loci in quibus hujus antiquioris Pomponii fit mentio, citat enim eum Tertullianus libro quarto quæſtionum, & ex eo idem Ulpianus [b] quod & ſextum *Pomponium opinatum Tertullianus libro quarto quæſtionum refert*, ita enim lego non ut antea Proponium cum Pandectæ Florentinæ, aliquid monſtri ſubeſſe indicent: quod ad poſterioris ævi Pomponium referri nequit, cujus monumenta Ulpianus

a *L. 63. §. 9. pro ſocio.*

b *L. 30. §. 6. de acqur. vel omit. hæred.*

nus tam diligenter evolverat, ut verisimile non sit eum Pomponii auctoritate oblique per interpositam Tertulliani personam adducturum fuisse. Magis etiam ad propositum nostrum faciunt, hæc Pauli verba [c] *Nerva & Cato responderunt, ut est relatum apud Sextum Pomponium Digestorum ab Aristone libro quinto ibidem Aristoni consensit*: qui locus indicare videtur fuisse ante Aristonem Pomponium, illumque hujus scripta in libros aliquot digessisse, nisi aut sententiam manifestè detorquere, aut suspectam habere omnium Codicum fidem volumus. Denique & ipse Pomponius Junior hujus de quo agimus Jurisconsulti mentionem facit, [d] ubi narrat divitam inter Cæsarem Tiberium & substitutum Parthenii servi sui hæreditatem, ut refert Sextus Pomponius: solet enim Pomponius Junior in libris variarum lectionum (unde is locus desumtus est) proferre quæ ipse ex aliis auctoribus didicit, eorumque nomina quandoque subnectere, quod vel sola variarum lectionum inscriptio arguit. Et hactenus quidem Jurisconsulti non contemnendi nomen ab oblivione indicasse sufficiat. Eum sequatur Jurisconsultus non ignobilis.

c *L. 44. solut. Matrim.*

d *L. 41. de hæred. Inst.*

Vitellius, cujus quidem auctoritas nusquam in Pandectis citatur, nisi forte in quodam loco ubi vulgati Codices legunt ut Celsus scribit: [e] sed alii Jurisconsulti ad eum notas fecisse reperiuntur, imprimis Sabinus [f] (id est ut ego puto Masurius non Cælius sicut male Bertrandus existimat) itemque Cassius, [g] iterum enim hic à Bertrando abeo temporis ordinem mutato verborum ordine pervertente: Paulus quoque Jurisconsultus ad Vitellium notavit. [h] forte & Aristo, id enim lucus quidam innuere videtur. [i] Antonius Augustinus putat hunc esse Vitellium quem Suetonius pro-

e *L. 34. §. de acq. vel omit. hæred.*

f *L. 8. de instr. & instr.*

g *L. 12. §. 27. de instr. & instr.*

h *L. 18. dict. tit.*

i *L. 3. §. 1. de penu leg.*

procuratorem Cæsaris fuisse testatur, quod ego in medio relinquo. Hunc excipiat.

Priscus Fulcinius, hujus ætatem, nemo eorum quos quidem viderim, ante nos expedivit: ego vero illum aliquanto post tempora Tiberii collocare non dubito. Certe post Labeonem vixisse probari facile potest: [k] & ante Trajanum scriptis claruisse vel inde apparet, quod Neratium ad Fulcinium notasse legimus. [l] Imo & ante Proculum fuisse locus quidam innuere videtur. [m] Citatur hic Jurisconsultus à Pomponio, Gajo, Ulpiano, Paulo aliquoties, unde intelligimus scripsisse eum quædam de rebus dotalibus & interdictis.

k *L. 69. §. 2. de leg. 2.*
l *43. de mort. caus. donat.*
m *L. 3. §. fin. de act. rer. amot.*

Fabius Mela conjungitur aliquoties cum Fulcinio sed ita ut præponatur ei, solet etiam Mela veterum Jurisconsultorum referre opinionem, ut Galli Aquilii [n] & Servii Sulpitii, [o] quare non male illis vicinus statuetur; præsertim cum & aliunde verisimiliter colligi possit scripsisse ante Proculum, [p] imo & ante ipsum Nervam, qui Fabii nostri sententiam improbasse videtur. [q] Citatur certe ab Africano, Venulejo, Ulpiano, Paulo. Illud mirari satis nequeo, quod Bertrandus hunc à solo Modestino reprehendi dicit, neque scio quid virum doctissimum in eum impulerit errorem: nam & Venulejus eum reprehendit [r] & Ulpianus, [s] Modestinus vero nunquam ejus meminit: locus autem ille quem Bertrandus in argumentum adducit, non est Modestini, sed Ulpiani. [t] Suspicatur Antonius Augustinus hunc nostrum Melam natione Hispanum fuisse, quia Pomponius Mela qui de situ orbis scripsit Hispanus fuerit, sed suspicatur tantum. Ejus coætaneus fuisse videtur.

n *L. 17. §. 6. de act. emt.*
o *L. 3. §. 10. de penu leg.*
p *L. 11. ad leg. Aquil.*
l. 3 §. fin. de act rer. amot.
q *L. 14. de annuis leg.*
r *L. fin. §. fin. quæ in fraud. cred.*
s *L. 14. de alimentis.*
t *D. l. 14. de alimentis.*

Cartilius, cujus Jurisconsulti memoriam nobis con-

servavit vir optimè de posteritate meritus Antonius Augustinus. Fit autem ejus mentio ab Ulpiano, [u] & Proculo, [x] qui Cartilii sententiam potius quam Trebatii amplectitur : unde infertur eum sub Caligulæ, forte & anteriorum Imperatorum tempore in honore fuisse. Est itaque hic noster alius à Cartilio Severo, qui Trajani ævo præfecturam urbi gessit, qua de re immerito dubitavit Bertrandus.

u *L. 5. §. 13. commod.*
x *L. 69. de hæred. Inst.*

Aminius Rebilus circa eadem tempora à Tacito numeratur inter primores *peritia legum & pecuniæ magnitudine*, [y] & sub Nerone in summa senecta misso per venas sanguine obiisse dicitur. Ejus nomen retulisse sufficiat, Plura de hoc neque alii adferunt neque ego repperi. Est & ejusdem notæ.

y *Tacit. lib. 15. ann.*

Varius Lucullus; hunc ego quis fuerit, quid scripserit juxta cum ignarissimis, nescio: nisi quod ex muco Pomponii loco [z] patet eum ante Aristonem vixisse, unde forte Cassii Longini (quem Aristo ipse audivit) æqualem fuisse suspicari licet. Hoc non longè posterior fuit.

z *L. 19. de acq. rer. dom.*

Plautius, Jurisconsultus & antiquus & satis celebris, ut mirum sit cum à Pomponio præteritum. Vixit autem circa tempora Vespasiani, ut ex variorum locorum collatione constat: citat enim ipse Cassium [a] itemque Proculum, [b] & rursus ipse alibi à Neratio refertur, [c] qui & libros ex Plautio scripsit. Notaverunt ad eundem Javolenus (Bertrandus perperam Julianum substituit) qui libros quinque, Pomponius qui septem, & Paulus qui octodecim libros ad Plautium scripserunt, ut ex Indice Pandectis præfixo patet. Quæ de Plautio Sylvano Consule circa Divi Pii tempora affert Bertrandus, huic loco minime conveniunt.

a *L. 8. de auro arg. leg.*
b *L. 43. de Cond. & dem.*
c *L. 5. de serv. præd. rust.*

Servilius Jurisconsultus citatur à Terentio Clemente

te Juliani coætaneo, aut certe discipulo, his verbis, *idque etiam Proculo placuisse, Servilius refert.* Quocirca ei alias ignobili circa Trajani tempora locum dabimus: & forte is fuerit qui in Fastis sub Trajani excessum Consul reperitur. Nisi malumus eum dicere quem ait Tacitus [e] summis honoribus & multa eloquentia viguisse, & tradendis rebus Romanis foroque celebrem nominat, sed is *M. Servilius Nonianus* dictus fuit. [f]

Minicius Natalis, ad quem Julianus notas scripsit ut ex Indice Pandectis præfixo, & aliunde [g] palam fit, ante Hadrianum vixerit necesse est. Quare nihil obstat quo minus, eundem esse dicamus ad quem D. Trajanus rescripsit, [h] unde non absurdè & Proconsulem fuisse colligit Bertrandus. Scripsisse hunc nostrum, ut, ad hominem sibi amicissimum Plinius videtur, [i] nisi forte is alius est Minutius Fundanus cujus alibi meminit: [k] Citat autem Pomponius nostrum Jurisconsultum ut Sabini responsa referentem. [l]

Campanus quoque Jurisconsultus sub eadem tempora floruisse deprehenditur, ex eo quod non tantum Pomponius, [m] sed Valens etiam mentionem ejus faciunt. Errat enim Bertrandus qui eum sub Severo & Antonino collocat, ambiguitate nominis deceptus. Vixit certe tunc quidam Coccejus Campanus, [o] verum is à nostro quem Valens citat diversus, & magno annorum interstitio distinctus est.

Octavenus Jurisconsultus sub quo Imperatore vixerit expedire id vero difficilis negotii fatetur Bertrandus, conjecturis tamen quibusdam si fieri potest, hoc consequi speramus, ut quod simillimum est vero à nobis statuatur. Videtur autem paulo ante Hadriani tempora floruisse, & argumento est locus quidam Valen-

[e] *Tacit. lib. 14 ann.* *Voss. de hist. Lat. lib. 1.*
[f] *Plin. hist. lib. 28. c. 2.*
[g] *L. 61. de Rei Vend.*
[h] *L. 9. de Feriis.*
[i] *Plin. Ep. lib. 7. Ep. 11.*
[k] *Idem lib. 1. Ep. 9.*
[l] *L. 6. §. 4. de act. emti.*
[m] *L. 34. de fideic. lib.*
[o] *L. 29. ad Sctum Trebel.*

p L. 67. ad S. Trebel. tis, p qui eum Octaveni sententiam adsensu suo probasse demonstrat, non sine aliqua honoris præfatione. q L. 20. de fideic. lib. Præterea eundem Pomponius cum Aristone, q & Paulus cum Proculo conjungunt, sed ita ut utrobique ejus nomen postponatur: quæ res occasionem nobis dedit cogitandi hunc nostrum & Proculo & Aristone Juniorem fuisse, quod eo probabilius dicitur, quia nulla in contrarium argumenta afferri posse existimo. Cæterum meminit & Octaveni præter supradictos Ulpianus sæpiuscule, Martianus item, & Terentius Clemens: videtur autem quædam ad Edictum, quædam ad leges Juliam & Papiam annotasse.

Vivianus quo tempore claruerit in obscuro est. Cer- r L. 14. de jure Codicil. te Sabini, Cassii, Proculi scriptis usum satis constat: r rursus Scævola & Pomponio antiquiorem fuisse varii indicant loci, nam & Pomponius ad ipsum notasse videtur. t Quare necesse est ipsum intermediæ assignemus ætati, & sub Trajano aut Hadriano rescripsisse statuamus. Fit autem crebra hujus Jurisconsulti mentio ab Ulpiano & Paulo; videturque quædam ad Edictum Prætoris pertinentia scriptis mandasse. Putabam aliquando hunc eum esse qui à Pomponio u corruptè Tuscianus appelletur, sed nihil certi definire audeo, quare lectori id examinandum relinquo. t L. 17. §. 4. commod. u L. 2. de orig. jur. inf.

Calvisius quoque etsi à nemine (quod sciam) in Jurisconsultorum Catalogum sit receptus, adlegi tamen posse videtur, cum eum juris scientia fuisse instructum Plinius Junior testatum reliquerit. x Rogat enim eum ut Decurionibus parce & modestè indicet, quid juris sit, quando aliquis Reip: quippiam legaverit: quod ipse ait si jus adspicias irritum, si defuncti voluntatem ratum firmumque esse. Non inverisimile est hunc Jurisconsultum in Prætura actionem præposuisse quæ ab ipso Calvisiana dicta sit. y x Plin. lib. 5. Ep. 7. y L. 3. §. 3. si quid infr. patr.

Læ-

Lælius Felix Juriſconſultorum hujus ætatis agmen claudat. Floruit is circa tempora Hadriani, [z] & Juriſconſultus fuiſſe oſtenditur Pauli teſtimonio, [a] ſcripſit is librum ad Q. Mutium (id eſt ut ego accipio, notas) è quo multa egregia de Comitiis citat Agellius, [b] nimirum hæc & alia, *Curiata Comitia per lictorem curiatim calari, id eſt convocari: Centuriata per Cornicicem*: item *cum ex generibus omnium ſuffragium feratur Curiata Comitia eſſe: cum ex cenſu & ætate centuriata, cum ex regionibus & locis tributa* &c. Idem de Teſtamentis veterum memoriæ quædam prodidit, gemina iis quæ Juſtinianus ſuis Inſtitutionibus inſeruit. [c] Eſt igitur hic noſter (nequis erret) alius à Lælio Varronis præceptore docto homine qui de proloquiis commentatus eſt: [d] noſter enim Labeonis auctoritate utitur, [e] quod in antiquiorem illum Varronis magiſtrum cadere non poteſt. Scripſit hic Lælius quædam ad rerum naturalium cognitionem (quatenus Juriſconſultum concernunt) ſpectantia, [f] nam ita loquitur, *Vidiſſe ſe in palatio mulierem liberam, quæ ab Alexandria perducta eſt ut Hadriano oſtenderetur cum quinque liberis, ex quibus quatuor eodem tempore enixa dicebatur, quintum poſt diem quadrageſimum.* Eandem hiſtoriam refert & Juriſconſultus Gajus, ubi & nomen mulieris affert & *Serapiam* dictam ait. Cæterum in ipſa narratione à Lælio diſcrepat, aut certe minus accurate eam proſequitur, dum refert eam quinque liberos uno fætu enixam: ſed nec dicit eam à ſe viſam, ſicut Lælius noſter ſcripſit. Quare nulla nos veriſimilis ratio cogit, ut cum Antonio Auguſtino, Gajum ac Lælium Felicem confundamus, & eundem hominem fuiſſe ſuſpicemur meminit Minutii Felicis ut cauſidici ætate ſua non ignobilis Lactantius, [g] ſed hic alius à noſtro eſſe videtur.

[z] L. 3. ſi pars hæred. pet.
[a] L. 43. de petit. hær.
[b] Agel. lib. 15. c. 27.
[c] Inſt. de Teſtam. ord. in pr.
[d] Agel. lib. 16. c. 8.
[e] D. lib. 15. c. 27.
[f] D. l. 3. ſi pars hær. pet.
[g] Lact. div. inſt. lib. 5. cap. 1.

CAP. VI.

Julianus an Severus cognominatus fuerit, quos honores gesserit, & quando, ejus auctoritas: Epigrammatis Græci explicatio: Edictum Perpetuum, error circa conditorem ejus Aur. Victoris, scripta Juliani, & mors: Sext: Cæcilius Africanus; expositus & illustratus Pandectarum locus, de ejus ætate disceptatio, error Bertrandi Agellii & Lampridii de Julio Africano remissive.

ABsolutis Jurisconsultis quos ante Hadriani Imperium vixisse putamus, revertamur ad illos nobiles quorum lucubrationibus adjuti sunt Pandectarum compilatores, eosque ex instituti nostri ratione ordine enumeremus. Horum Princeps esto.

a *Lampr. in vita Didii Juliani.*

Salvius Julianus, qui si Lampridio [a] credimus, fuit proavus Imperatoris Didii Juliani, & quidem Insuber Mediolanensis: habuit & cognomen Severi teste eodem dum ait Didium adsciviisse sibi id cognomentum quod avi & proavi fuerit. Certe noster Jurisconsultus in Pandectis plerumque Julianus, aliquando Salvius Julianus (nunquam quod mihi quidem occurrerit) Severus appellatur. Honores gessit maximos; nam eum Lampridius [b] *bis Consulem & Præfectum urbi* nominat, & ipse sicut consulatus, ita & Prætura suæ & Ægyptiaci itineris meminit: [c] Denique & consiliarius Hadriani fuisse deprehenditur. [d] Consulatus ejus in quos annos inciderint, non facile potest expediri. Ego ut libenter dederim Julianum hunc nostrum cum Torquato consulem fuisse anno septimo D. Pii, (nam ad illa usque tempora vixisse constat ex loco quodam ubi Imperatorem Titum Antonium nominat [e]) ita propter magnam ejus sub Hadriano celebritatem induci non possum ut credam hunc primum ejus fuisse consula-

b *Lampr. d. loc.*

c *L. 5. de manum. vénd. l. 36. de solut.*

d *Spart. in vita Hadr.*

e *L. 18. quod mer. caus.*

sulatum, Potius itaque crediderim eum sub Hadriano suffectum gessisse honorem: nam ut hujus nostri sub Marco, triginta post priorem consulatum annis, fiat cum Pisone mentio, temporum ratio non admittit, sicut recte à Bertrando animadversum est. Idem tamen dum è quodam ad Sctum Tertullianum loco [f] nititur demonstrare temporibus D. Pii vixisse Julianum, sub sesto utitur argumento: fuit enim Sctum illud Imperante Hadriano compositum, ut testatur Justinianus: [g] neque juvat Bertrandum quod Tertullus sub D. Pio consul fuisse reperitur: fuit enim & alius eo nomine sub Trajano Consul, [h] potuit & idem qui ad Pii ætatem pervenit sub Hadriano suffectum gessisse consulatum & Scto nomen suum imposuisse. Quantæ in jure auctoritatis fuerit Julianus, non tantum ex eo apparet quod ab Hadriano ad perpetui Edicti ordinationem delectus est, unde *legum & Edicti perpetui sublimissimus conditor*, [i] *& sublimissimus testis summæ auctoritatis homo & Prætorii Edicti perpetui ordinator* [k] dicitur, sed etiam ex aliis quibus eum Imperatores insigniunt elogiis. Nam Divi Fratres his verbis utuntur, *sed & Salvii Juliani amici nostri, clarissimi viri hanc sententiam fuisse* [l] *vidimus*, unde tamen inferri non potest hunc nostrum divorum fratrum Imperium attigisse, potuit enim illis sub Pio amicus fuisse, quod & ex verbis non obscurè elici videtur: Et Justinianus *summum auctorem juris scientiæ*, [m] & alibi *Tantæ existimationis virum & disertissimum Jurisperitum* [n] *& rursus sapientissimum* [o] *& Optimum* [p] appellat. Affert etiam Bertrandus ex Epigrammatis Græcis hunc versum. [q]

[f] L. 1. *ad Sctum Tertull.*

[g] *Inst. ad Sen. Tertull.*

[h] *Plin. lib. 2. Ep. 11.*

[i] *L. 2. §. 18. C. de Vet. jur. enucl.*

[k] *L. 10. C. de cond. indeb.*

[l] *L. 17. de jure patron.*

[m] *L. 15. C. de usufr.*

[n] *L. 5. C. de bon. quæ lib.*

[o] *Nov. 87.*

[p] *In oratione ad Sen.*

[q] *Anthol. lib. 4. Ep. 2.*

Tg-

Τοῦτον Ἰουλιανὸν νομικῆς φάρος εἶπον, ἰδέζαι
Ῥωμη καὶ Βερόη, πάντα θεὸς δύναται,

Sed ego ei pro καὶ Βερόη reponenti Βερύτῳ adſentiri non poſſum, nam hoc ſi fiat & elumbes ſint numeri, neque ſatis cohæreat ſententia, imo & fruſtra hic adfectatur emendatio cum & ipſa urbs Berytus olim Beroea & Beroë dicta fuerit, teſte Stephano. [r] Deinde nec illud Epigramma huc ſpectat, neque enim id in Julianum hunc noſtrum ſcriptum eſt, ſed in Gabrielem, quem alterum Julianum Poëta nominat: & argumento eſt, quod nullum lemma habet præfixum, unde eandem cum præcedente Epigrammate perſonam tangere colligitur. Accedit quod Berytus ſub Hadriano Juriſprudentium ſchola nondum claruit, ſed multo poſt tempore: & hanc quidem obſervationem ſummæ dignitatis, ingenii exquiſitiſſimi, & rariſſimæ eruditionis viro Jano Rutgerſio, magni Suecorum & Gothorum Regio apud Fœderatos ordines legato, acceptam me ferre debere libens profiteor, quem in ipſo ætatis flore negotiis regni, & quoties ab iis aliquantulum vacabat litterarum ſtudiis incumbentum, præpropera nobis mors, magno cum patriæ mærore, eripuit. Sed redeundo ad Juriſconſultum noſtrum, ſilentio præteriri non debet, quam is Imperante Hadriano anno ejus 15, in condendo Edicto perpetuo navaverit operam, nimirum ſparſa Prætorum Edicta compilando, de ſuo etiam quædam addendo, [s] alia detrahendo, nonnulla corrigendo. [t] Denique pro Edictis Prætorum annuis ac proinde incertis, perpetuum & mutationi non obnoxium ſubſtituendo Edictum. Hinc *Eutropius* [u] *Salvius Julianus Rempublicam invaſit nepos (vel ſecundum*

r *Steph. περὶ πόλεων.*

s *L. 3. de conj. cum em. lib.*

t *L. 1. Commodati l. 1. quod met. cauſ.*

u *Eutrop. lib. 8.*

cundum Lampridium Pronepos) *Salvii Juliani qui sub Hadriano perpetuum composuit Edictum: hinc & locis supra citatis Edicti perpetui conditor* appellatur. Errat itaque Libergeus, qui [x] annua Prætorum Edicta perpetua appellat: certe alia Edicta jurisdictionis perpetuæ causa à Prætoribus sub ingressum Magistratus proponebantur, ut scirent cives quod jus quisque illo anno dicturus esset; alia vero prout res incidit, id est pro negotii qualitate, quod apud ipsos tractabatur, cujus generis sunt Edicta commonitoria & peremtoria, [y] quam differentiam disertis verbis inculcat Jurisconsultus Ulpianus. [z] Sed nusquam ante Hadriani tempora perpetui Edicti vox reperitur Gravius etiam labitur Aurelius Victor, [a] qui compositionem Edicti perpetui Didio Juliano Pertinacis successori adscribit, his verbis: *qui primus Edictum quod variè inconditeque à Prætoribus promebatur in ordinem composuit.* Neque audiendus hic Bertrandus prædictum locum sic emendans qui pronepos Salvii qui primus Edictum &c. composuit: nam & geminatio illa pronominis relativi duriuscula est, & satis ostendit Victor existimasse se Didium illum juris conditorem fuisse, dum in verbis sequentibus ipsum præceptorem & asperum quidem rectius vivendi vocat. Quare magis verisimile mihi fit Victorem affinitate nominum deceptum quod Salvii erat Didio tribuisse. Fuit autem (ut & hoc addamus) Julianus noster ex Sabini factione, quippe qui Javolenum habuit præceptorem ut ipse profitetur. [b] Scripsit autem Digestorum libros nonaginta, si Indicem sequimur; vel 94. si inscriptioni cuidam fidem adhibemus. [c] Item ad Minicium libros sex; videtur tamen Ulpianus libri decimi ad Minilium meminisse. Præterea ad Ferocem libros quatuor, de ambiguitatibus

x *Liberg. in Inst. juris.*

y *L. 68. & seq. de judic.*
z *L. 7. de juriſd. om. Jud.*
a *Aur. Vict. in vita Didii Juliani.*

b *L. 5. de man. Vind.*

c *L. 32. de legib.*

unum composuit, ut ex Catalogo discimus: videtur & libros Epistolarum viginti scripsisse, [e] ut statim infra videbimus, & ad Edictum quam plurimos, certe primi mentio in quadam inscriptione occurrit, [f] nisi cum Taurelliis & Antonio Augustino eum vitii arguere malumus, quasi is locus ex ipso Juliani Edicto perpetuo desumtus sit, non autem ex libris ad Edictum, quod ratione non caret. Bertrandus adjicit & librum de dotali prædio, [g] quem tamen ego admittendum non puto, potuit enim Julianus in libros Digestorum & alibi tractatum de dotali prædio proposuisse, atque ibi notasse ea quæ de uxore dicerentur ad sponsum pertinere, qui sensus est verborum in loco à Bertrando adducto. Obiit autem Julianus sub Imperio Pii, & sepultus est via Lavicana: [h] est itaque hic noster diversus à Juliano quem sub Commodo cæsum narrant historiæ. [i] Creberrima apud omnes Jurisperitos hujus mentio occurrit: notasse ad eum reperitur Scævola, [k] itemque Marcellus, [l] & Paulus, [m] forte & Mauricianus, [n] & Africanus, [o] qui eum ut statim dicemus fere pro oraculo habuit.

Sextus Cæcilius Africanus commode subjungitur Juliano, fuit enim illi coævus, & successor, ut vult Cujacius. [p] Fundamentum ejus præcipuum est in loco quodam, ubi *Julianus Sexto Cæcilio Africano* respondisse dicitur, [q] unde non male hic noster discipulus Juliani fuisse convincitur. Confirmant opinionem nostram varii Pandectarum loci in quibus Africanus ejus meminit, [r] & Jurisconsultus Ulpianus, qui postquam retulit Julianum sensisse si servus legatus in fuga sit hæredem operam præstare debere ut eum requirat, subjicit. *Nam & sumptum an in hanc rem facere hæres deberet, Africanus libro vicesimo Epistolarum apud Julianum*

e L. 39. de legat. 1.

f L. 1. de his qui not. Inf.

g L. 5. C. de bonis quæ liber.

h Lampr. in vita Didii Juliani.

i Lampr. in vita Commod.

k L. 10. §. 1. de peric. & Com.

l L. 16. de pecul.

m L. 4. de Resc. Vend.

n L. 7. §. 2. de Pact.

o L. 19. §. 1. & 2. ad Sctum Velle:

p Cuj. in tr. ad Afric. & obs. 7. c. 2.

q L. 3. de liber. Exhib.

r L. 38. de Cond. Indeb. l. 23. de Reb. Cred. l. 31. de pignor. act. l. 38. §. 4. de solut.

lianum quærit, putatque sumptum præstandum, & ego arbitror sequendum. [f] Quæ verba ita exponi debent, libro 20. epistolarum Juliani (quas tamen non habemus) quæsivit Africanus per epistolam (sicut id fieri solere ex variis locis liquet [t]) & putat (s. Julianus) sumptum præstandum. Nec dubito, quin ut in illo ita & in aliis Africani locis verba ait, respondit, de Juliano plerumque intelligenda sint, quod ipse Africanus alibi satis aperte indicat, [u] cum enim in principio proposita quæstione subjecisset hæc verba, *negavit Exceptioni Sc^ti locum fore*, non addito ejus qui id negasset nomine, postea addit, *nec dissimilem huic propositioni ex facto agitatam, &c.* ubi *similiter se respondisse Julianus ait &c. non Impediri eum Sc^to.* Idem corroboratur & aliis Pandectarum locis, [x] Imprimis iis quæ Africanum ad Julianum notasse convincunt. [y] Referuntur tamen etiam aliquando in Pandectis responsa Africani, ut cum dicit *Respondi, & putem*: [z] aliquando utriusque permixtim invenire est, ut nunc Juliani nunc Africani verba legantur, cujus rei multa adduci possunt exempla. [a] Non obstat huic nostræ opinioni locus, ubi post allegatum responsum impersonale, subjungitur id convenire ei sententiæ quam Julianus probaret, [b] verba enim ita sunt accipienda ut utrobique de Juliano sermo sit, solemus quippe in longa narratione loco pronominis nomen ejus de quo agitur repetere. Nec cuipiam scrupulum moveant alia loca, [c] responderi enim potest prius responsum esse Africani, posterius Juliani, quod ab Africano non utique probaretur: [d] vel dicendum loca ista leviissima manu emendanda, & pro *respondit* legendum *respondi*, vel contra, itemque in d. l. 31. ultimam syllabam in voce præstet esse conduplicandam, quod

f L. 39. de leg. 1.

t L. 69. de hær. inst.

u L. 19. §. 1. ad Sc^tum Vellej.

x L. 43. 44. 45. de act. empt.

y L. 30. de act. empt. l. 35. locati l. 61. de Furtis.

z L. 50. de jur. dot.

a L. 108. §. 2. & 3. de leg. 1. l. 38. §. 1. 2. 3. de solut.

b L. 38. de Cond. Indeb.

c L. 31. de pignor. act.

d L. 61. §. 1. 6. de Furtis.

millies in Pandectis fieri videmus, ut verba sint *indemnem me præstet & eadem*, sic totus locus erit Luliani: atque ita verum esse comperitur, quod diximus plerumque ab Africano responsa Juliani referri, licet eum non nominet, idque & Græcorum auctoritate confirmat Antonius Augustinus. [e] Ex supra dictis facile investigabimus Africani ætatem, vixit enim post Hadrianum, cum quæstiones quædam ab ipso tractatæ pendeant ex Sctis eorum temporum: [f] quare sub D. Pio, cujus ætate, & Julianum vixisse ostendimus, à nobis constituetur. Citatur porro Africanus noster cum Publicio semel, [g] an alibi ejus allegetur auctoritas merito ambigitur, nam quod Javolenus, Papinianus, Ulpianus, Paulus, aliquoties Sexti Cæcilii mentionem faciunt, id recte de Sexto Cæcilio antiquiore longe Jurisconsulto & supra à nobis memorato, accipi potest. Apud Agellium [h] certe hujus nostri mentionem fieri puto, *qui Sextum Cæcilium in disciplina juris atque legibus Pop. Rom. noscendis interpretandisque scientia usu auctoritateque illustri*, cum Phavorino de legibus duodecim tabularum introducit loquentem, quod ut ita credam, facit ipsum illius colloquii tempus. Videtur enim illud ad D. Pii Imperium referri debere, quia Agellium post mortem Hadriani pleraque scripsisse, indicio est, quod eum aliquoties Divum appellat: [i] cum igitur Phavorinus & Africanus ad salutandum Cæsarem venisse dicuntur, est id de D. Pio intelligendum, nisi quis ad Marcium, cui Pius in vita sua Cæsaris nomen concesserat, [k] id referendum existimet. Deinde etiam Sextus Cæcilius id ipsum satis aperte indicat, dum tempore istius colloquii dicit annos non longe minus septingentos, effluxisse, post leges à Decemviris (300. circiter urbis Romæ anno) latas: atque

e *In notis ad librum de nomin propr. τῶ παιδ.*

f *D. l. 3 de lib. agnosc.*

g L. 2. §. 6. *ad Sen. Tert.*

h *Agel. lib. 20. c. 1.*

i *Agel. lib. 11. c. 15.*

k *Capitol. in vita Marc. Ant.*

atque ita de anno fere milleſimo urbis ſermonem ſibi eſſe declarat. Notum autem eſt ex Chronicis Hadrianum annum urbis nongenteſimum vivendo non attigiſſe: itaque aut locus iſte Agellii corrigendus eſt & pro ſeptingentis annis ſexcenti reponendi, aut poſt Hadriani tempora colloquium id rejiciendum eſt. Quanquam autem Pius ultra annum urbis 915. non vixit, mirum tamen videri non debet quod ſæculum incæptum pro completo poſuit Agellius, aut potius Africanus, cui tunc expediebat quam longiſſimum inter ſua & Decemvirorum tempora ſtatuere intervallum. Ex his omnibus patet graviſſimè falli Bertrandum qui Africanum noſtrum ſub Alexandro collocat, & abunde refellitur locis ſuperioribus, [l] eſt enim fruſtra dum locum in d. l. 31. contra omnium codicum fidem vult emendare: quod vero Juliano in d. l. 3. de agnoſc. lib. alium ſubjicit conſultorem, nimirum Africanum quendam, qui Octavo Trajani anno conſul fuerit, mihi veriſimile fieri non poteſt, cum propter provectam, qua tum is Africanus fuiſſet ætatem, tum quia eum qui iis temporibus conſul fuit, non Sextum Cæcilium, ſed Julium Africanum appellat Cuſpinianus ad Caſſiodori Chronicon. Neque movet me Lampridii locus [m] à Bertrando adductus, nam is ibi à quam plurimis viris Doctiſſimis contra hiſtoriæ fidem ire demonſtratur, nec ſalvari poteſt ejus auctoritas, niſi omnes fere Juriſconſultos geminos fuiſſe dicamus. Quod ſi nihilominus Africanum aliquem ſub Alexandro vixiſſe volumus, fuerit is Julius Africanus, de quo conſulendus hiſtoriarum omniſque auctoritatis peritiſſimus Voſſius. [n] Scripſit autem Africanus noſter, gravis & ſubtilis auctor, libros quæſtionum novem, in quibus difficiles & ſpinoſas juris controverſias exactiſſimè pertrac-

[l] L. 31. *de leg.* 1. *Agel. d. l.* 20. *c.* 1.

[m] *Lampr. in Alex.*

[n] *Voſſ. de Hiſt. Gr. lib.* 2. *c.* 15.

tat, quas Cujacius absolutissimo illustrat commentario.

CAP. VII.

Sextus Pomponius Junior, de ejus ætate error variorum explicatus Pandectarum locus, Pomponii studium Philosophiæ, scripta ejus: Gajus, ejus ætas, scripta, error circa ea Bertrandi: L. Volusius Mæcianus, quos honores gesserit, ejus scripta & ætas: Vinidius Verus, error circa eum Bertrandi.

SExtus Pomponius, qui nobis Jurisconsultorum successionem satis accuratè perscriptam reliquit, [a] (fuit enim & alius antiquior ejus nominis ut supra vidimus) Divi Pii temporibus vixisse, ex eo ipso loco, ubi Valentis & Juliani, qui illa ætate floruerunt mentionem facit, manifestè deprehenditur. Videtur etiam Divorum fratrum imperium attigisse, meminit enim alicubi Divi Antonini, [b] id est, Pii, sicut ex aliis locis datur cognoscere. [c] Cui consequens est tunc, cum ista scriberet Pium vivere desiisse, nunquam enim Jurisconsulti nostri viventes Imperatores Divorum nomine solent insignire, sed tantum defunctos, utpote qui per solennem consecrationem tunc demum inter Divos relati sunt. Rivallius, Rutilius & Bertrandus, Pomponium hunc nostrum, seducti auctoritate Lampridii, [d] inter Alexandri consiliarios & Papiniani discipulos referunt: sed quomodo Papiniani discipulus esse potuit Pomponius, qui sub Divo Pio ante natum Papinianum scriptis claruit? aut quomodo credibile fit, Pomponium totis sexaginta quatuor annis (tot enim numerantur ab excessu Pii ad initia Alexandri) postquam scriptis inclaruerat, vixisse? Mirum est hominibus alioqui satis sagacibus non oboluisse manum

[a] *L. 2. de orig. jur.*

[b] *L. pen. de Pollut.*

[c] *L. 9. & 15. d. Tit.*

[d] *Lamprid. in vita Alex.*

manum ſibi à Lampridio aditam. Errat ipſe, errant omnes ejus ſequaces, neque in hoc ſolo Pomponio mendum eſt, ut ſuſpicatur Bertrandus, ſed in multis etiam aliis, ut in Alfeno, Africano, Mæciano, Celſo, Proculo, quos omnes licet ætate longe anteriores, Alexandro coætaneos facit. Allegat pro opinione ſua Bertrandus locum quendam Pomponii, [e] unde vulgo colligi ſolet Pomponium ad ſummam ætatem, videlicet ſeptuaginta & octo annorum perveniſſe, in verbis, *Nam ego diſcendi cupiditate, quam ſolam vivendi rationem optimam, in octavum & ſeptuageſimum annum ætatis duxi, memor ſum ejus ſententiæ, qui dixiſſe fertur* κἂν τὸν ἕτερον πόδα ἐν τῇ Ζορῷ ἔχω προσμαθεῖν τι βγλόμην. Sed quod ille non animadvertit, neque iſta verba ſunt Pomponii, neque iſta Græca ſententia Juliani, quemadmodum multi autumant, ſed conſultoris cujuſdam hominis ſenis: qui ex Pomponio quæſivit, quid ipſi de loco quodam Juliani videretur, nam ſic habent verba, *Pomponius libro VII. Epiſtolarum: apud Julianum ita ſcriptum eſt: ſi hæres rogatus ſervum manumittere &c: an hæc vera putes?* Deinde ne forte Pomponius miraretur hominem provectæ ætatis ad ſe talem referre quæſtionem, id præveniens ait ſe cum Solone (aut alio quopiam Philoſophorum) diſcendo ſenem fieri velle. Poſtea reſponſis Pomponii ſubnectitur his verbis, *Belliſſimè Ariſto & Octavenus putabant, &c:* quibus Juliani reſponſo ex anteriorum Juriſconſultorum auctoritate aliquid ſuperadditur, tandemque Juliani opinio confirmatur. Quos honores Pomponius hic noſter geſſerit, incertum eſt, hoc conſtat eum omnis generis eruditione inſtructum, nec à Philoſophia præſertim Stoica, alienum fuiſſe. [f] Reliquit ſane multa ingenii ſui monumenta, ad Quintum Mutium libros

[e] *L. 20. de Fideic. lib.*

[f] *L. 30. de Uſucap.*

libros triginta novem, sive ut Politianus (à Bertrando nescio qua de causa adductus) loqui amat, undequadraginta. Ad Sabinum, sive ex Sabino, libros triginta quinque aut si inscriptioni cujusdam legis [g] (ubi quidam Codices, sextumdecimum habent) credimus, triginta & sex. Et Epistolarum libros viginti: variarum quoque lectionum quindecim, aut plures, nam decimi septimi, vigesimi quinti, & trigesimi quarti mentio alibi occurrit, [h] imo & quadragesimi, & quadragesimi primi, quos tam multos locos emendare mihi religio est. [i] Ad Plautium quoque libros septem, Fideicommissorum quinque, Senatusconsultorum item quinque, Regularum unum, Enchiridii duos. Horum voluminum meminit index Pandectis præfixus: sed scripsit præterea libros ad Edictum septuaginta novem, qui ab aliis Jurisconsultis referuntur diversis in locis, [k] (forte & plures, nam octuagesimi tertii fit alibi mentio non addito libri titulo [l] quorum nomina in Catalogo omissa credibile est, quia isti libri in manus Triboniani nunquam venerint: adde & de stipulationibus libros octo: [m] forte & singularem librum Enchiridii, qui quidem diversus sit à duobus supra enumeratis: [n] male certe Bertrandus librum de tacitis fideicommissis subjicit, cujus nusquam aut vola aut vestigium est. Notavit hic noster Pomponius ad Aristonem, [o] & ad Pomponium rursus Marcellus notasse legitur. [p] Citatur autem Pomponius à Scævola, [q] & Martiano, [r] ab Ulpiano quoque & Paulo sæpissime, ab aliis minimè: videtur sane à Juliano allegari hic noster quodam loco: [s] sed ejus legis principium tantum esse Juliani, reliqua vero Ulpiani, facile mihi persuadeo, cum credibile non sit Julianum Pio, (qui illic loci Divus appellatur) super-vixisse.

Gajus

g *L.* 20. *de Capt.*

h L. 18. *de rec. arb. l.* 1. & 21. *de Rei vind.*

i *L.* 2. *in quib. caus. p: l.* 8. §. 6. *si serv. vind.*

k *L.* 1. §. 1. *de Collat. l.* 1. §. 8. *de Carb. Ed:*

l L. 1. §. 14. *si quid in fraud. patr:*

m L. 5. §. 2. *si usufr: pet:*

n *L.* 2. *de orig. jur. l.* 239. *de verb. sign.*

o *L.* 18. *de donat.*

p *Lib.* 16. *qui Test. fac.*

q *L.* 18. *de Cond. Furt.*

r *L.* 45. *de Contr. Empt.*

s L. 6. *de Neg. Gest.*

Gajus, recte subjungetur coætaneo & amico suo Pomponio, à quo familiaritatis ergo *Noster* nominatur. [t] Vixit itaque tempore Divi Pii, ut patet ex his ejus verbis, [u] *nostra ætate mulier ad D. Adrianum perducta est*, & alibi, *nuper ex indulgentia Principis Antonini*, [x] ubi Imperatoris Antonini, id est Pii, meminit. Scripsit tamen etiam post Pium, nam eum Divum Antoninum appellat, [y] quod de Pio intelligendum alia loca apertè demonstrant: [z] Neque est quod Bertrandus se torqueat, an. d. l. 7. de Reb. dub: de Hadriano an vero de Pio sit accipienda, satis enim constat ex collatione aliorum locorum [a] Hadrianum illic designari, nisi omnium Imperatorum nomina, perperam confundere velimus. Hujus Gaji prænomina aut cognomina non invenio: certe eum Justinianus suum [b] appellat, cujus rei alii alias causas afferunt, ego autem Bertrando assentior, ita scilicet locutum quod ejus labore maxime delectaretur, ejusque opera in compilandis institutionibus suis plurimum esset usus. Idque eo facilius in Gajo admittendum, quia plures eo nomine fuerunt Jurisconsulti, nimirum Gajus sive Cajus Juventius Mutii, & Gajus Servii Sulpitii discipulus, quem nos Gajum Aulum Orfilium vocatum supra diximus, itemque Gajus Atejus Pacuvius, & Gajus Cassius Longinus, quare aliqua nota hic posterior à reliquis distinguendus fuit. Citatur à Javoleno Gajus quidam, [c] sed is forte est C. Cassius Longinus ex quo istum locum Javolenus excerpserit, quod & Bertrandus animadvertit. Meminit & Gaji Julianus, sed & is proculdubio unus ex antiquioribus est. Laudatur & liber septimus Gaji de origine vocabulorum ab Agellio, [d] sed id an ad nostrum Jurisconsultum pertineat incertum est. Sane ex hujus Jurisconsulti institutioni-

t L. 39. de stip: serv.
u L. 7. de reb: dub.
x L. 11. de Jurisd. l. 42. de Donat. inter vir. & ux.
y L. 56. de legat. 2. l. 1. de his qui sunt sui vel al: jur.
z L. 2. dict. Tit.
a L. 3. si pars hæred.
b In Proœm. Dig. Const. omnem. §. 1. & confirm. Inst. §. 7.
c L. 54. de Cond. & Dem. l. 78. de solut.
d Lib. XI. c. 17.

bus quædam à Boëtio [e] & Prisciano [f] referuntur. De genere & dignitatibus ejus nihil mihi liquet. Scripta hæc in Catalogo recensentur. Ad Edictum Provinciale libri triginta duo, ad leges, id est, ad legem Juliam & Papiam, ut ex inscriptionibus patet, libri quindecim: ad Edictum urbicum qui reperiri potuerunt libri decem. Notandum tamen hos Gaji commentarios diversos habuisse titulos, ut ex inscriptionibus discimus, videlicet de Testamentis (quæ de materia duos scripsit libros, [g]) de Legatis (quam materiam tribus libris prosecutus est [h]) de liberali causa (quam duobus libris explanavit [i]) de damno infecto, de publicanis, de prædiatoribus, de re judicata, de operis novi nuntiatione, aquæ pluviæ arcendæ, qui neque sequantur &c. ex quibus omnibus in Pandectas aliquot leges sunt relatæ. Deinde aureorum, sive rerum quotidianarum libri septem: institutionum quatuor, quorum Epitome ab Anniano Alarici consiliario confecta etiamnum extat; de verborum obligationibus tres, de manumissionibus tres: Fideicommissorum duo: de Casibus unus: regularum unus, sive ut inscriptio quædam loquitur, [k] singularis: dotalium unus; de formula hypothecaria unus. Quibus extra Catalogum addendi, Regularum libri tres, præter singularem statim memoratum, [l] ad Edictum, ædilium curulium libri duo: [m] liber singularis ad legem Gliciam, [n] ad leges duodecim tabularum libri sex: [o] de tacitis Fideicommissis liber singularis. [p] Ad senatus consulta Tertullianum & Orfitianum, [q] libri singulares, itemque de testamentis, de legatis, de re uxoria, [r] nisi forte hic postremus idem est cum eo quem supra diximus Dotalium, quæ Antonii Augustini conjectura mihi non displicet. Tribuit etiam huic nostro Bertrandus librum singularem ad ora-

e *Lib. 3. Top: Cic.*
f *Prisc. lib. 6. in f.*
g *L. 16. 18. de Reg. jur.*
h *L. 56. de Reg. jur.*
i *L. 2. de lib. caus.*
k *L. 21. de adopt.*
l *L. 43. de injur. l. 100. de Reg. jur.*
m *L. 32. de adil. ed.*
n *L. 4. de inoff. Test.*
o *L. 237. 238. de verb. sign.*
p *L. 23. de his quæ ut Ind.*
q *L. 8. 9. ad Scæum Tert.*
r *In procmio Dig. Const. omnem §. 1.*

orationem Antonini, & de assignatione liberorum, sed male, sunt enim ii Jurisconsulti Pauli, ut docent inscriptiones à Bertrando allatæ. [s] Idem nescio quo errore ductus Gajum ad libros Juliani notasse scribit, quod tamen ad Scævolam referendum loci ab ipso adducti indicant. [t] Præter supradictum Pomponii locum, ubi hic Gajus ab eo *Noster* nominatur, nomen ejus apud alios Jurisconsultos non occurrit.

Lucius Volusius Mæcianus, hoc enim prænomine fuit hic Jurisconsultus ut ex Capitolino discimus, [u] vixit circa tempora Antonini Pii, quem ejus consiliis usum idem testatur, [x] idque & ipse Mæcianus satis præ se fert dum ita scribit *Antonius Augustus, Pius, noster* [y] fuit autem hic Mæcianus præceptor M. Antonini Philosophi teste eodem Capitolino, unde magnam ipsi auctoritatem accessisse credendum est, usque adeo ut & ab eodem Imperatore amicus appelletur, [z] *Volusius Mæcianus amicus noster, ut & Juris civilis præter veterem, & bene fundatam peritiam anxiè diligens.* Videtur & Juliano & Vinidio Vero familiariter usus fuisse, nam utrumque *suum* nominat: [a] unde eum Cassianæ scholæ addictiorem fuisse colligere licet. Quod consulem fuisse Bertrandus opinatur, frustra est, nam neque lectio adducti loci, [b] quam amplectitur sincera est, neque si ita esset, inde quod ille vult conficeretur, cum ibi tantum rescripti emissi fiat mentio. Potius ex Vulcatio in vita Avidii L. Cassio, statuemus hunc Alexandriæ fuisse præfectum, & ut Avidianæ conjurationis conscium ab exercitu cæsum invito atque ignorante Imperatore, idque testatur Vulcatius his verbis, Exercitus *Mæcianum cui erat commissa Alexandria, quique consenserat spe participatus Cassio, invito atque ignorante Antonino interemit.* Reliquit

[s] *L. 60. 61. de rit. nupt.*
[t] *L. 54. de pact. &c.*
[u] *In vita Antonini Philosoph.*
[x] *In vita Pii.*
[y] *L. 42. de fideic. lib.*
[z] *L. 17. de jure patr.*
[a] *L. 30. §. 7. ad leg. Falc. l. 32. §. 4. ibid.*
[b] *L. 27. de liber. caus.*

autem Juriſconſultus noſter ſcripta hæc, fideicommiſſorum libros ſexdecim, Publicorum Judiciorum quatuordecum, ut ex Indice Pandectis præfixo patet. Quibus addendi ſunt quæſtionum liber: [c] & ad legem Rhodiam commentarius, aut certe excerpta: [d] & poſtremo tractatus de aſſe & ponderibus, qui hodieque extat, ſed de ſinceritate inſcriptionis ſubdubitare videtur Antonius Auguſtinus, quia poſt Codicem Theodoſianum is liber ſcriptus ſit. Judicium de hujus viri ſcriptis aliud non feram niſi quod ipſum Marcum Imperatorem ferentem audivimus, nimirum eum & Juris civilis peritiſſimum, & ejus uſque ad anxietatem tenaciſſimum fuiſſe. Illud omittendum non eſt, quod eundem hunc Juriſconſultum ſub Alexandro collocat Lampridius, quo jure ipſe viderit: ſuboluit fucus Hottomanno qui ideo filium ejus ſubſtituit: mihi totus iſte locus (ut & antea monui) omnino ſuſpectus eſt, quanquam Bertrandus nullum non lapidem movet ut auctori iſti ſua conſtet auctoritas, pro Mæciano Metium reponens, eumque cum Meſſio, qui ſub Severo fuit, confundens. Meminerunt hujus noſtri Juriſconſulti Scævola, [e] & Papinianus, [f] itemque Ulpianus & Paulus aliquoties.

Vinidius Verus, coævus & amicus præcedentium claudat agmen, qui & ipſe Antonino Pio à conſiliis fuit, ut ex memorato Capitolini loco videre eſt. [g] Utitur ejus auctoritate Mæcianus in præcitato loco, [h] ubi dicit ejus ſententiam & æquitatem & rationem magis habere. Eundem laudat Ulpianus bis, [i] Paulus vero tantum ſemel: [k] unde ſcripſiſſe quædam deprehenditur, ſed quo titulo ejus ſcripta fuerint non exprimitur, neque ulla fragmenta hujus Juriſconſulti in Pandectas relata reperiuntur. Errat certe Bertrandus cum libro

c *L. 66. de acq. hær.*
d *L. 8. ad leg. Rhod.*
e *L. 20. ad leg. Falc.*
f *L. 86. de acq. vel omit. hæred.*
g *Capit. in vita Pii.*
h *Ad l. 32. §. 4. ad leg. Falc.*
i *L. 7. §. 18. de pact.*
k *L. 2. ſi ex nox. c. ag. quem. cav.*

libro undecimo ad Edictum Ulpianum Vinidii mentionem facere scribit, nusquam enim in loco ab ipso adducto nomen Vinidii occurrit: [l] Idem extra oleas vagatur dum quædam de Quadrato affert, & Spartiani locum emendare contendit, fuit enim Quadrato Mimidii, non Vinidii nomen, ut recte probat Cassiodorus, neque codicum fides vacillat.

[l] L. 11. de minor.

CAP. VIII.

Junius Mauricianus, de ætate ejus disceptatio, ejus scripta: Terentius Clemens: Ulpius Marcellus, res ab eo gestæ, scripta, error circa ea Rivallii, dilucidatus Pandectarum locus, R. Cervidius Scævola, ejus scripta, deque iis judicium, explicatus Pandectarum locus & emendatus, Scævola an variaverit inquiritur: Papyrius Justus.

JUnius *Mauricianus*, quem male Bertrandus Julium vocat, hactenus adeo ignobilis fuit, ut nemo ætatem qua vixerit, certo prodiderit. Antonius Augustinus eum post Antonium Caracallam aut sub eo collocat: Bertrandus ei sub Alexandro locum dat: Rutilius hunc tantum nominat, neque quicquam ulterius memoriæ prodit. Nos ut certi aliquid hac de re statuamus, Jurisconsultum hunc nostrum sub Divo Pio & post eum vixisse non dubitamus, idque inducti duobus præcipuè locis, nam in uno sic loquitur, *Et hoc nuper Imperator Antoninus ad libellum rescripsit*, [a] & in altero hæc reperiuntur verba, *Divus Hadrianus in Plotinæ, & proximè Imperator Antoninus in Faustinæ Augustæ persona constituit*, [b] deficere legatum quod quis Augustæ reliquerit, postquam ea inter homines esse desierit. Quæ si conferantur cum alio loco præcedente, [c] qui Gaji est, facile patebit utrobique

[a] L. 23. de usu & hab. leg.

[b] L. 57. de leg. 2.

[c] L. 56. d. Tit.

de Pio esse sermonem, qui aliud jus statuerit in Principe aliud in Augusta. Et confirmat hanc nostram sententiam Faustinæ mentio, quæ uxor Pii & Augusta dicta fuit, ut ex hoc Capitolini loco constat, d *uxorem Faustinam Augustam à Senatu appellari permisit.* Præter jam relatos locos duo tantum reperiuntur, in quibus Mauritiani verba in Pandectis relata sint, e unde nihil certi de ejus scriptis judicari potest. Reliquit autem sex libros ad legem Juliam & Papiam, ut ex Indice patet; de Pœnis vero duos, si inscriptioni l. 3. de Edendo credimus. Citatur hic aliquoties ab Ulpiano f & Paulo, g alii ejus mentionem non faciunt. Certe notasse ad Julianum deprehenditur ex precitato Ulpiani loco.

d *In vita Pii.*

e L. 3. *de Edend. l. 15. de jure Fisc.*

f *L. 7. de Pactis.*

g *L. 36. de hæred. pet.*

Terentius Clemens, alius videtur esse à Pactumejo Clemente cujus infra fit mentio, nam hic ubique Terentius appellatur. Fuit certe his Jurisconsultus Juliani sectator, nam eum sæpe citat in scriptis & responsis, imo & familiariter eo usus videtur, dum sic loquitur, *sed hoc ita interpretari Julianus noster videtur*, h quare circa ejus tempora vixisse credendus est. Scripsit porro ad leges Juliam & Papiam libros viginti. A nemine Jurisconsultorum citatur, nam locus à Labitto adductus de Pactumejo agit. i Solet autem hic auctor sæpiuscule quæstiones proponere, easque vel ex Juliani sententia decidere, vel distructionis lege componere. Quod de Clemente quodam sub Severo consule refert Bertrandus, id huic nostro convenire nullis argumentis evincitur, atque ideo ut alienum prætermittemus.

h *L. 6. de Vulg. & Pup: subst.*

i L. 21. §. 1. *de statulib.*

Ulpius Marcellus, videtur filius aut nepos fuisse ejus Marcelli, qui sub Domitiano adhuc Juvenis eloquentiæ famam meruit, & rei militaris non imperitus habebatur, ut ex Statio Papino, k probat Bertrandus.

k *Lib. Silv. 4.*

Vixit

Vixit autem Marcellus noſter ſub D. Pio, nam Capitolinus hunc Imperatorem ejus in jure ſanciendo opera uſum fuiſſe narrat, quare non male locus ubi Aurelii Imperatoris meminit [l] de eodem intelligetur. Equidem & ſub Divis fratribus floruiſſe, ex loco quodam, ubi orationis ab ipſis habitæ mentionem facit, manifeſtè probatur, [m] itemque ex alio ubi recitat *ſententiam*, *Imperatoris Antonini Auguſti*, *Pudente & Pollione Conſulibus*, id eſt, ſexto anno Dominorum fratrum, ut Chronici docent latam. Forte & ſuperfuiſſe Marco & Commodi Imperium attigiſſe dicendus eſt, nam ejus tempore à Dione, [n] & Zonara nominatur Ulpius Marcellus vir frugi ac modeſtus, belliquè dux vigilantiſſimus, qui ne pane recenti nimis oneraretur, eo ante aliquot dies cocto uti ſolebat. Eum narrant, poſt res in Britannia proſperè geſtas parum abfuiſſe quin à Commodo virtutis ergo, neci deditus fuerit: eundem legatum Cæſaris & Præfectum prætoriæ Pannoniæ Inferioris fuiſſe tradunt: quæ omnia ſi cum Bertrando huic noſtro Juriſconſulto tribuimus quod & nobis maximè placet, palam fiet hunc virum Domi militiæque egregium bellicas artes cum ſtudiis civilibus feliciter junxiſſe. Sane hujus viri auctoritatem à poſterioribus Imperatoribus maximi factam ex conſtitutionibus eorum videre eſt. [o] Nunc ut ſtudia ejus juridica proſequamur. Scripſit ut ex Catalogo Pandectis præfixo liquet Digeſtorum libros triginta & unum, aut ſi inſcriptioni cuidam [p] fidem adhibemus, libros 39. ad leges Juliam & Papiam libros ſex; reſponſorum vero unum. Quibus extra Indicem adde Publicorum, [q] de officio Præſidis unum: [r] & de officio conſulis quinque. [s] Adnectit & Rivallius duo de triginta quæſtionum, & duos de re militari libros, ſed

l L. 48. de Cond. & dem.

m L. 19. de Teſt. tut.

o L. 10. C. de Cond. Ind. l. 1. C. de Comm. ſerv.

p L. 2. de Capt. & poſt. rev.

q L. 22. de his qui not. Inf.

r L. 43. de minorib.

s L. 1. §. 1. Ne de ſtat. def.

sed quæ ejus rei habuerit argumenta divinare nequeo. Porro etiam ad Julianum notas scripsisse patet ex multis locis, quod Jurisconsulti variis phrasibus efferunt, modo enim Marcellum in notis apud Julianum scribere ajunt, [t] modo Julianum notasse perhibent; & quidem in iis notis non raro reprehensum à Marcello Julianum constat. Fecit & hic noster ad Pomponium notas, ut supra monuimus & comprobari facile potest, [u] unde lux accedit cuidam loco, ubi Pomponius Marcelli notam referre videtur, [x] cum tamen Pomponii verbis omissis, solam ad ea verba Marcelli notam Pandectis inseruerant earum compilatores. Notavit rursus ad Marcellum Scævola, [y] & Ulpianus. Meminerunt hujus Jurisconsulti in scriptis suis, Martianus, Tryphoninus, Ulpianus & Paulus sæpissimè, & Modestinus.

t L. 11. §. 4. & 5. de min. vigintiqu. ann. l. 1. C. de Comm. serv. m.

u L. 29. §. 2. quib: mod. usufr. amitt.

x L. 10. de emilit.

y L. 11. §. 6. de donat. int. vir. & ux.

Q. Cerbidius Scævola ita enim in legibus appellatur, [z] vixit sub Divis fratribus & Marco Antonino Philosopho à consiliis fuit, teste Capitolino, [a] dum ait *usus est Scævola præcipue Jurisperito.* Quod & ex ipsius Scævolæ scriptis palam fit, nam & Imperatorum Antonini & Veri Augustorum plerumque meminit, [b] & citatur alibi ab Ulpiano his verbis *Scævola D. Marcum in auditorio de hujusmodi specie judicasse refert*, [c] ita ut ipse tunc interfuisse dicendus sit. Hunc nostrum Jurisconsultum Severi Imperatoris & Papiniani fuisse præceptorem ex Spartiano discimus dum Papinianum cum Severo professum sub Scævola narrat. [d] Certe magni nominis fuisse vel hinc constat, quod à Modestino inter coryphæos Jurisconsultorum recensetur, [e] & à Theodosio Imp. in suo Codice *Prudentissimus omnium Jurisconsultorum* nominatur. Audivisse eum Paulus & Tryphoninus videntur, nam uterque aliquoties

z L. 38. de Vulg. & Pup. substit.

a In vita Marci.

b L. 24. ad Municip.

c L. 22. ad Sctum Treb.

d In vita Anton. Car.

e L. 13. de Excus.

ties, *Noſtrum* appellat, [f] ſed ego potius id ideo factum arbitror, quia uterque ad eum notas ſcripſit, ſcripta Scævolæ, è quibus lacunæ aliquot in Pandectis relatæ ſunt hæc Invenio, Digeſtorum libri quadraginta, quæſtionum viginti; reſponſorum ſex; regularum quatuor: de quæſtione familiæ unum; (hunc agnoſcit index, ſed ex eo nihil in Digeſta relatum eſt) & quæſtionum publice tractatarum librum ſingularem: forte & ſingularem ὁρῶν ſive definitionum, [g] ſed potius eſt ut hunc fætum Q. Mucio Scævolæ adjudicemus, de quo latius in ejus vita Tenuit autem hic noſter Scævola in omnibus ſcriptis ſuis hunc modum ut jus ad facti conditionem retulerit, unde hac fere clauſula utitur, *ſecundum ea quæ proponerentur:* quod ſi de facto non ſatis conſtabat, ingenue dicebat, *non poſſe abſolutè reſponderi, cum multa oriri poſſint quæ pro bono ſint æſtimanda, ideoque hujuſmodi varietatem arbitrio viri boni dirimendam.* [h] Multa eleganter tractavit, ſed ita ut verba potius rei, quam rem verbis cogeret inſervire, omnia ſemper ad æquitatem, quam præcipue præoculis habuit deflectens: breve & conciſum dicendi genus ſecutus eſt, & omiſſis vulgaribus quæ nota erant etiam iis qui jus primoribus tantum labris deguſtaſſent, minus nota & ſublimiora plerunque tantum attigit, unde fit ut in multis ſubobſcurior videatur. Certe Alciato aſſentiri non poſſum [i] locum quendam Pandectarum ita explicanti, ut Scævolam à Claudio (quem ille male Saturninum vocat) εἰρωνικῶς perſtringi putet: [k] quin potius Juriſconſultum noſtrum illic loci revera ab ingenio commendari exiſtimo, locumque illuc ita interpretandum, quidam hæres inſtitutus rogatus erat ut Titiæ cohæredi totam hæreditatem reſtitueret, acceptis centum nummis, deceſſerat illa antequam daret

[f] L. 27. de Pactis. l. 12. de diſtr. pign:

[g] L. fin: de aqua qu: &. æſt.

[h] L. 13. de ann. leg.

[i] Parerg. lib. 4. C. 1.

[k] L. 109. de Cond. & Dem.

centum, quærebatur jam an hæres Titiæ offerendo prædicta centum fideicommissum consequi posset. Scævola non moratus subtiles aliorum in simili materia distinctiunculas, plane ac apertè de jure respondit, hoc unum satagens, ne à mente testatoris aberasse videretur, dixitque hæredem Titiæ conditioni parere non posse, atque ita nec ad fideicommissum admittendum: ad hæc verba Claudius notat, posse quidem in proposito dubitari an conditio per ablativos absolutè positos esset inducta, videri enim illa verba potius modum præ se ferre, Scævolam ut alibi, [l] ita & hic minuta ista contemnentem, magno ingenio testatoris mentem investigasse, suamque de jure opinionem simpliciter ac perspicuè protulisse, quare & ibidem legere malo, *de jure aperte respondit*, non ut ante legebatur *aperto*. Sunt & alii qui magni hujus Jurisconsulti famam variis cuniculis conantur arrodere, sed iis omnibus abunde satisfacit Annæus Robertus, ad quem lectorem remitto. [m] Cujacius vero pluribus tentat demonstrare eum aliquando variasse in hac quæstione, an servus alienus duobus bona fide serviens, si ex re alterius stipuletur, totum uni eorum quibus servit ex cujus re stipulatus est, an partem ei partem autem Domino suo, acquirat. [n] Et primo quidem, quæstionum libro II. respondisse partem unam ejus possessoris ex cujus re stipulatio esset, ipsi illi possessori quæri, partem vero alteram, quæ alteri bonæfidei possessori non posset, quia ex re ipsius non foret, domino servi accrescere: [o] postea vero eundem Jurisconsultum libro XIII. quæstionum respondisse, uni possessori, ex cujus re esset stipulatio, in solidum acquiri. [p] Ego cum viderem Cujacium ut hanc variationem eliciat, textum l. 23. §. 3. de acq. rer. Dom: immutare, & pro verbis in solidum

l L. 108. de Cond. & Dem.

m Lib. 4. Sent. C. 16.

n Conj. lib. 4. obs. 1.

o L. 25. §. 6. de usufr.

p L. 27. §. 3. de acq. rer. dom. l. 19. de stip. serv.

dum, reponere partem, quod duriusculum est, præsertim cum textus ejus legis in hoc quidem puncto satis bene cohæreat, si vulgatam sequamur lectionem; semper putavi de alia conciliatione ad l. 25. §. 6. de usufr: (quæ sola negotium exhibet) cogitandum, aut si omnino mendum aliquod subesse volumus, potius corrigendum textum in d. §. 6. tamen cum postea animadverterim Fabrum Cujacio adstipulari, [q] & quidem talibus verbis ut nihil unquam verius aut elegantius à viro doctissimo observatum fuisse dicat, potius judicium meum suspendam & non liquere profitebor. Hoc tamen addito hanc, si qua sit, variationem magnis exemplis defendi, & proinde Jurisconsulto nostro vitio verti non debere, sed potius ingenuitatem sapere, cum nunquam errare divinitatis magis quam humanitatis, opinioni vero semel defensæ adhærere, licet alia melioribus argumentis postea se probet, pervicaciæ sit: accedit quod etiam posterior hujus nostri sententia reliquorum Jurisconsultorum sententiis probatur. [r] Illud postremo omittere non debemus, notasse hunc nostrum Scævolam ad Julianum, [s] & ad Marcellum: [t] rursusque ad hunc nostrum Jurisconsultum notasse Claudium Tryphoninum, [u] & Paulum; [x] & frequentem hujus nostri apud Martianum, Tryphoninum, Ulpianum, Paulum, Modestinum, occurrere mentionem: denique & hunc eum esse qui tritam hanc sententiam memoriæ prodiderit, *jus civile vigilantibus scriptum esse.* [y]

[q] *Conj. lib. 4. c. 46.*
[r] *D. l. 23. §. 3.*
[s] *L. 10. de*
[t] *Peric. & Com.*
[t] *L. 56. ad leg. Falc.*
[u] *L. 15. 16. de alim.*
[x] *L. 26. qui & à qu. m.*
[y] *L. 24. de his quæ in fr. Cred.*

Papyrius Justus, alius est à Papyrio Frontone cujus alibi facimus mentionem, nam is perpetuo Frontonis nomine appellatur, hic vero noster Justi: illius responsa citantur, hic rescripta tantum colligit. Scripsit autem constitutionum libros viginti, ut habet index.

Ex primo & secundo libro quindecim omnino loca in Pandectas relata sunt, in quibus meminit Divorum fratrum. Ex libro octavo tantum unica lex desumta est, [z] in qua meminit rescripti ab Antonino Imperatore ad Avidium Cassium emissi, quod de Marco philosopho intelligendum historiæ nos docent. Unde colligo Papyrium hunc [illegible]rum sub Divis fratribus & Marco floruisse, eorum [illegible]escripta collegisse, quod & Ant. Augustino & [illegible]ndo placet.

z *L. 60. de Pactis.*

P. IX.

L. Æmilius Papinian[illegible]s Parentes, honores ab eo gesti, ejus[illegible]s, ejusque causa, scripta, ἀξόνομοὶ[illegible]is Tertullianus, an Christianæ Ecclesiæ[illegible]ir: Callistratus: Claudius Tryphoninus,[illegible]pta: Ælius Marcianus, error circa eum[illegible], explicatus Spartiani locus, scripta Mar[illegible]rsa habuit capita: Arrius Menander, ejus-
auctoritas, æquita[illegible]qui? Q. Septimi[illegible]Doctor fuerit, c[illegible]ejus ætas: honor[illegible]Bertrandi & a[illegible]ciani, sex Ju[illegible]que ætas.

T[illegible]ius Papinianus, vir & ingenio, & digni[illegible]e & scriptis celeberrimus, genitus Papiniano [illegible]ilio & Æmylia Gracili, anno trigesimo sexto ætatis vivere desiit, si epitaphio ab Hottomanno aliisque in medium prolato credimus, quod sic habet, D. M: *Æmilio Paulo Papiniano præfect: Prætor: Jurisconsul: qui vixit annos XXXVI. Diebus X. Mens: IIII. Papinianus Hostilius, Eugenia Gracilis turbato ordine in senio heu parentes fecerunt filio optimo.* Hæc si vera sunt oportet eum maturè admodum liberis quærendis operam dedisse, habuit enim cum occideretur filium ejus ætatis, ut jam tum Quæsturam gereret, teste Spartiano in his verbis, [a] *Filium autem Papi-*

a *In vita Ant. Carac.*

Papiniani qui ante triduum quæstor opulentum munus ediderat interemit Antoninus. Cæterum ut honores à Papiniano gestos prosequamur, ante decimum octavum ætatis annum advocationem Fisci suscepit, dicitur enim à Spartiano in illo munere Severo Imperatori succesſiſſe, utique ante ejus principatum, qui cum octodecim annis imperaverit, facile inde ætas Papiniani, qua tunc temporis fuerit, colligi potest. Egit etiam sub Severo libellos, ut ex Tryphonini loco discimus : [b] denique & sub eodem Præfectus Prætorio fuit, & adsessores habuit Ulpianum ac Paulum ut infra videbimus Huic viro in tantum laudando in quantum virtus laudari potest, magnæ animi dotes maximam peperunt auctoritatem, nam Severo fuit amicissimus, [c] adeo ut illi moriens utrumque filium commendaverit, (quanquam & alii affinem per secundam uxorem fuisse putent) & à sequentibus Imperatoribus summis ubique condecoratur elogiis, nam à Caro, Carino Numeriano *Prudentissimus* appellatur, [d] *à Decio Consultissimus*, [e] *à Justiniano Disertissimus* [f] *& Sapientissimus* [g] item *Maximus*, [h] *& splendidissimus*, [i] quin etiam *acutissimi ingenii vir & merito super alios excellens* [k], denique Theodosius ejus auctoritatem reliquis Jurisconsultis anteponit, sic loquens *ubi diversæ sententiæ proferuntur potior numerus vincat auctorum : vel si numerus æqualis sit, ejus partis præcedat auctoritas, in qua excellentis ingenii vir Papinianus emineat, qui ut singulos vincit ita cedit duobus* [l] & Justinianus Imperator, referens olim juris studiosis tertio demum anno solere explicari responsa Papiniani, illum ordinem noluit immutari, [m] atque inde tertii anni studiosos Papinianistas vocari, & festum diem cum ejus opera aggrediuntur celebrare, ut viri sublimissimi in hoc per

b *L. 12. de Distr. Pign.*

c *Spart. in vita Carac.*

d L. 16. C. de Fideic.

e L. 3. C. de acq. poss.

f L. 9. C. de Inst. & subst.

g *Nov. 108.*

h *Nov. 4. c. 1. in med.*

i L. 1. §. 6. de Conc. Dig.

k L. 30. C. de Fideic.

l Cod. Theod. l. 1. de Resp. prud.

m *In Const. omnem. §. 4.*

æternum maneat memoria. Fuit autem hic Juriſconſultus æquitatis perquam tenax, multaſque & egregias ſcriptis ſuis inſperſit ſententias, ut cum ait *beneficio hominem affici intereſt hominis*, n & alibi, *meritis magis filii ad Paterna obſequia provocandi, quam pactionibus aſtringendi*, denique & aureum hoc effatum *quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & ut generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt:* p & totius juris peritiſſimam à Magiſtro ſuo Scævola, haufit cognitionem, ut non immerito *Juris aſylum, ac doctrinæ legalis theſaurus* appelletur: q & à D. Hieronymo ipſi Divo Paulo comparetur in Epitaphio Fabiolæ Æliæ, ut notat Bertrandus. De morte ejus hoc inter omnes auctores (Victorem excipio, qui in media lucè tenebras neſcio quaſi quærit) conſtat, Antonini Caracallæ juſſu ſecuri percuſſum, quo facto parricida ille Getæ fratris memoriam ſui apud poſteros reddidit, fœdiorem. De cauſa mortis ambigitur, alii ut fautorem Getæ cæſum, alii quod orationem in Getam invectivam dictare noluerit, alii (quæ crebiori calculo recepta eſt ſententia) cum à Caracalla ſibi injunctum eſſet ut perpetratum in fratrem facinus dilueret, imperato detrectaſſe, dicendo *Non tam facile parricidium excuſari, quam fieri.* Ita tandem vir optimus reique publicæ utiliſſimus & bonis artibus clarus à Tyranno fratris adhuc ſanguine madente interemptus eſt, nec illum totius vitæ innocentia, nec filium ejus modeſta juventus potuerunt tutari, quominus uterque ſævientis rabiem expleret; quin & patris cadaver per plateam, ſine ulla humanitatis reverentia tractum, idem qui reliqua fere præcedentia tradit Spartianus. Cujus memoria etiam hoc nomine fuit glorioſa, quod ſuprema

n *L. 7. de ſerv: Exp:*

p *L. 15. de Cond. Inſt.*

q *Spart. in vita Car:*

prema, ejus verba instante morte prolata Divini quid spirare videntur, dixit enim *stultissimum fore qui in suum subrogaretur locum nisi appetitam crudeliter præfecturam vindicaret*, quibus vocibus vindictam qua ipsi Macrinus præfectus prætorio cæso Antonino parentavit, præsensisse videtur. Scripta autem Papiniani hæc reliquit quæ quidem ad nostram notitiam pervenerunt, quæstionum libros septem & triginta, in quibus continentur disputationes aliquot diffusiores, quæ aliquando etiam ad tractatuum naturam accedunt, prout tractatum à quæstione Bertrandus aliique accurati auctores, [r] distinguunt, quanquam ego Jurisconsultos nostros hæc duo vocabula promiscuè usurpasse persuasum mihi habeo. [f] Scripsit præterea responsorum libros novemdecim: definitionum duos: de Adulteriis duos, & rursus de eadem materia singularem. Item astynomicum singularem, unde desumtus locus, [t] qui minus significanter in Pandectis inscriptus est de officio Ædilium, est enim ut notat Cujacius, [u] & ex eo Bertrandus, differentia inter ἀστυνόμους & ἀγορανόμους, illi viarum & operum publicorum curam gerunt, hi foro & rebus vænalibus præfecti sunt, ad hos Ædilitium edictum spectat ad illos non item. Notaverunt autem ad Papinianum, Ulpianus, Martianus & Paulus; [x] qui etiam crebram ejus faciunt mentionem, nec non Tryphoninus semel aut iterum.

r *Sen. Contr. lib. 5.*
f *L. 34. de neg. gest. l. 88. ad leg. Falc. l. 5. de Præscr. verb. l. 19. §. 2. ad Sc: vell:*
t *L. 1. de via Pub:*
u *Cuj. lib. 22. obs. 31.*
x *De Conc. Dig. §. 6. l. 7. ad leg. Jul. de adult.*

Q. Septimius Floreus Tertullianus, hoc nomine fuit insignis ille Christianæ religionis Doctor quem eundem cum Tertulliano Jurisconsulto faciunt Cujacius, Ant: Augustinus, Rutilius aliique, in quorum sententiam & nos pedibus imus, moti & conjecturis quibusdam & hoc Eusebii loco, [y] *Tertullianus vir & legum & Institutionum Romanarum peritissimus, & inter nostros*

y *Lib. 2. Eccl. Hist. C. 2.*

noſtros ſcriptores admodum clarus : Fuit igitur Doctor ille Eccleſiæ Juriſconſultus, quod & crebræ quibus utitur tranſlationes ex jure deſumtæ teſtantur, & vixit temporibus Severi teſte Caſſiodoro [z] qui XVI. ejus imperii anno ſic ſcribit, *his temporibus Tertullianus Afer Chriſtianus ſcriptor celeberrimus habetur.* Circa eadem tempora & Tertullianus ille cujus in Pandectis fit mentio deprehenditur vixiſſe; citatur enim ab Ulpiano, [a] qui ſub Antonino Caracalla præcipuè floruit, & Juliano ordine verborum poſtponitur, [b] ita ut poſt Hadrianum ſcripſiſſe facile diſgnoſcatur, tractavit enim aliquas quæſtiones ex Juriſconſulto Tertulliano (quod temporibus Hadriani factum ſupra monuimus, malè enim Bertrandus Pium ſubſtituit) ortum habentes: [c] quo magis condemnandus error Rivallii, qui id Sctum ab hoc auctore denominari putat. Poſtremo etiam florida Tertulliani hujus noſtri dictio, quam ex quinque locis in Pandectas relatis odorari licet, facit ut hunc fœtum Chriſtiano Doctori non abjudicem: qua de re ſi quis dubitat is ipſa inſpiciat loca, [d] & imprimis unum qui longiuſculus eſt. [e] Nec me movent argumenta à Bertrando in contrarium allata, iis enim facile ſatisfieri poteſt; nam quod ait Ulpianum Chriſtiani ſcriptoris mentionem facturum non fuiſſe, in eo certè falli putem, ea enim virorum magnorum ſolet eſſe æquanimitas ut virtutem & Doctrinam in homine ſine ullo religionis reſpectu ſuſpiciant & laudent, quid mirum igitur ſi Tertulliani auctoritate utatur Ulpianus. Multo etiam minus urget quod Hieronymus in Catalogo auctorum Eccleſiæ nulla Juridica ſcripta Tertulliano tribuit, ſunt enim illa alterius generis, nec Eccleſiaſticam Doctrinam tangunt, forte etiam à Tertulliano dum adhuc Ethnicus eſſet, publici Juris facta

z *In Chronico ſuo.*

a L. 30. §. 6. *de acq. vel om. hæred.*

b L. 3. §. 2. *de hæred. Inſt.*

c L. 2. §. 44. *ad Sctum Tert.*

d L. 27. *de legib.* l. 23. *de Teſt. mil.* l. 4. *de Caſtr. pec.* l. 28. *de acq. vel am. poſſ.*

e L. 33. *de Teſt. mil.*

facta sunt, atque ita inter Christianorum scripta locum invenire non possunt; quod suadere videtur hic ejus de Pallio locus, [f] *Ego nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo, nihil officio advigilo, nulla nostra præoccupo, nulla prætoria observo, Cancellos non adoro subsellia non contundo, jura non conturbo, causas non elatro, non judico, &c.* Loquitur enim ibi de se jam Christiano facto, ostenditque se iisjam non insudare, quibus antea solebat. Quod vero ex ætate Pomponii (cujus à Jurisconsulto nostro mentionem fieri dicit) [g] adducitur, argumentum leviſſimum est ac nullius ponderis; meminit certè ibi Tertullianus Sexti Pomponii, verum antiqui illius, cujus memoria etiam apud ipsum Julianum extat. Denique ut demus Juniorem ab eo Pomponium allegari, quid obstat quominus illum utputa æqualem aut etiam Majorem natu referat Tertullianus: sed nimirum imposuit Bertrando Lampridii locus supra memoratus, unde Pomponium istum sub Alexandro vixisse, & Papiniani fuisse discipulum credidit. Conjectura quoque Bertrandi qua nobis ex quodam Tertulliani loco [h] affinem ei Jurisconsultum subjicit, qui quidem hic noster sit, levicula est, nemo enim ex verbis istis potest colligere eum aut Tertullianum nomine aut Jurisconsultum fuisse. Non tractabo pluribus quæ ad vitam Doctoris nostri Christiani pertinent, ne actum agam, sunt enim ea à Pammelio aliisque diligenti cura tradita; Cæterum scripsit hic, Jurisconsultus ut ex indice liquet quæstionum libros quatuor de Castrensi peculio unum: meminit ejusdem Imperator Justinianus, eumque *Juris antiqui interpretem vocat.* [i]

Callistratus, vixit & scriptis editis claruit sub Imperatore severo, nam in loco quodam sic loquitur, [k] *Im-*

f *Tert. de Pall. c. 5.*

g *L. 30. §. 6. de acq. vel omitt. hæred.*

h *In lib. de præscr. adv. hær.*

i *L. 7. de Sc^to Treb.*

k *L. 2. de jure Fisc. l. 38. de leg.*

perator noſter Severus Auguſtus. Antonini vero etiam meminit, in verbis *Imperatores noſtri Severus & Antoninus*, [l] quæ ſunt ſub eorum Imperio viventis, ut ex multis ejus generis locis palam fit. Videtur ſane, ſi Lampridio credimus, ad Alexandri ætatem vitam produxiſſe, quod ego, quanquam iſti loco parum fidens facile admitto, ob modicam quæ inter Alexandrum & Severum interceſſit temporis intercapedinem duodecim vel circiter annorum. Hic Juriſconſultus ab aliis non citatur, ſcripſit autem de cognitionibus libros ſex: Edicti Monitorii totidem: de Jure Fiſci quatuor: inſtitutionum tres: quæſtionum duos.

l *L. 3. §. fin. de of. proc. Cæſ.*

Claudius Tryphoninus, vixit ſub Severo & Antonino, nam in Conſilio Imperatoris cum Papiniano & Meſſio fuiſſe oſtenditur, [m] quod ad Severum omnino referri debet: ubi obiter notandum verbum *Pronuntiavit*, quod in dicto loco occurrit, non ad Juriſconſultum ſed ad Imperatorem Severum referri debere, cum ex inſcriptione conſtet de Decreto Imperatoris illic agi. Vixit tamen etiam hic noſter Juriſconſultus ſub Antonino Caracalla, ſic enim ait *Imperator noſter cum Divo Patre ſuo.* [n] Extat & alibi Imperatoris Antonini ad hunc noſtrum Juriſconſultum reſcriptum: [o] unde, colligi certe non poteſt, quod Bertrandus vult eum tunc temporis Synæ præfuiſſe melius aliunde inferemus eum Fiſci Advocationem exercuiſſe: [p] memini ipſe auditorii in quo ſuam de controverſia quadam opinionem declaraverit, [q] quod ego de auditorio Papiniani, cujus alibi fit mentio, [r] intelligendum puto. Proculejanum appellat Bertandus, ſed argumento parum valido. [s] Ciceronem ab eo ſtudioſe lectitatum ipſius ſcripta teſtantur. [t] Hic ille eſt Juriſconſultus Claudius qui ad Cerbidium Scævolam multis

m L. 50. *de jure Fiſc.*

n *L. 44. de Excuſ. l. 12. §. 17. de Capt.*

o *L. 1. C. de Jud. & cæl.*

p *L. 1. C. de Adv. Fiſc.*

q *L. 78. §. 4. de jur. dot.*

r *L. 40. de reb. cred.*

s *L. 29. rer. am.*

t *L. 39. de pæniſ.*

tis in locis notavit, ut ex eorum collatione elicio, [u] unde patet ratio cur Scævolam suum appellet [x] ut supra monuimus. Reliquit autem disputationum libros viginti & sex, in quibus multas perplexas Juris quæstiones explanavit, citatur à Paulo, semel, [y] neque amplius.

Ælius Marcianus, ita hunc Jurisconsultum nominatum fuisse discimus, [z] videtur ad hæc quoque tempora referendus esse, nam D. Severum sæpissime nominat, & Antonini magni meminit, [a] id est Antonini Caracallæ, assumserat enim nomen magni ut aliunde constat: [b] ipse quoque Antoniuus ad Marcianum rescripsisse legitur: [c] Quin & Marcianus Antonino supervixit, nam eum aliquoties Divum vocat, [d] unde Alexandri tempora attigisse colligitur, quod & confirmat Lampridii locus supra citatus, & inscriptio cujusdam legis Codici insertæ. [e] Minus autem recte ad hanc sententiam stabiliendam à Bertrando afferuntur alii loci, [f] ubi de principalibus Constitutionibus sermo est quod enim ibi dicitur reum delatum etiam ante sententiam honores gerere prohiberi, id de constitutionibus Severi & Antonini aliorumque Principum accipere nihil vetat, præsertim cum eos de hac materia rescripsisse satis constet. [g] Fallitur autem cum Politiano, Rutilio, & Rivallio, Bertrandus, qui Marcianum hunc nostrum à Juliano Imperatore occidi jussum asserit, nusquam enim id in historiis reperitur: sed nimirum omnes in errorem induxit hic Spartiani [h] locus, *sed Julianus sperans Lætum fautorem Severi, cum per eum Commodi manus evasisset, ingratus tanto beneficio jussit eum occidi: jussit etiam Martiam interfici.* Quod cum de concubina Commodi intelligendum sit, quæ cum Læto in ejus mortem conjuraverat, male & con-

[u] L. 58. *de adm. & per. T.*
[x] *L.* 12. §. 1. *de distr. P.*
[y] *L.* 50. *de jure Fisci.*
[z] §. *quod autem* 2. *Inst. ad leg. Aqu.*
[a] *L.* 1. *de reg. resc. l.* 8. *C. ad l. Jul. Maj.*
[b] *L.* 5. *de Veteranis l.* 11. §. 3. 4 *de mun. & hon.*
[c] §. *fin. Inst. de his qui sunt sui vel al.*
[d] *D. l.* 11. §. 3. *&* 4.
[e] *L.* 4. *C. de stat. def.*
[f] *L.* 1. *C. de reis Post. l.* 7. *de mun. & hon.*
[g] *L.* 1. *C. de reis post.*
[h] *Spart. in Jul.*

tra auctoris mentem ad hunc Juriſconſultum adaptatur. Perperam quoque idem Bertrandus hunc noſtrum cum Macro confundit, dum ex loco quodam Macri [i] infert Marcianum Ulpiani auctoritate uti: perperam item quod Mauritiani eſt, [k] huic noſtro tribuit: perperam etiam Rutilius Mæcianum antiquiorem Juriſconſultum à Juniore Marciano diſtinxiſſe, non ſatis videtur. Rectius à Bertrando annotatum eſt hunc noſtrum Juriſconſultum alium eſſe ab eo cive Romano ejuſdem nominis, cujus alibi fit mentio, quod & temporum intervalla evincunt. Habuit autem hic noſter auditorium aut certe in auditorio publico ſententiam ſuam dixit. Marcelli auctoritate ſubnixam: [m] Citat porro etiam Scævolam, [n] & Papinianum, [o] ad hunc etiam notavit. [p] Scripſit Marcianus inſtitutionum libros ſexdecim, ut ex indice liquet, ſed eos per capita diſtinctos fuiſſe non uſque quaque pro comperto habeo, neque enim id probat locus à Bertrando adductus, [q] ſed magis innuere videtur Marcianum tractantem in libro inſtitutionum decimo ſexto materiam legis Juliæ, ad trigeſimum quintum (male Bertrandus legit quinquageſimum tertium) ejus legis caput annotaſſe quæ illic referuntur: fuiſſe enim legis Juliæ diverſa capita varia oſtendunt loca. [r] Libro inſtitutionum tertio ea fere ſcripſit, quæ Juſtinianus lib. 2. Tit. 1. Inſt. proſequitur, inter alia & hoc addidit, Cenotaphium eſſe locum religioſum. [f] Quæ res Triboniano occaſionem dedit ſubjungendi Ulpiani locum, [t] in quo divos Fratres contra reſcripſiſſe oſtenditur, quem tamen integrum alibi legere eſt. [u] Quare audiendus non eſt Bertrandus dum & d. l. 6. de rer. div: emendat, & l. 7. ſequentem Ulpiani eſſe negat, neque mirum videri debet Marcianum poſt emiſſum à Divis fra-

i *L. 5. de vacat. mun.*

k *L. 7. de Pact.*

m *L. 1. §. fin. Ne de ſtat. def.*

n *L. 50. de fideic. lib.*

o *L. 18. de Cond. Inſt.*

p *L. 57. de ritu nupt.*

q *L. 19. de ritu nupt.*

r *L. 44. 45. d. Tit.*

f *L. 6. de rer. Div.*

t *L. 7. d. Tit.*

u *L. 6. de Relig.*

fratribus reſcriptum, exiſtimaſſe Cenotaphii locum eſſe religioſum, auctore Virgilio, [x] potuit enim Marcianus ſine ſacrilegio illud reſcriptum ignorare, quod quidem poſtea ab Ulpiano alicubi fuerit repertum: nam omnium talium reſcriptorum, quæ plerunque à privatis impetrabantur, ſcientiam habere Juriſconſulti non quibant, antequam in unum Corpus eſſent collecta, ſcripſit præterea Juriſconſultus hic regularum libros quinque appellationum duos: publicorum Judiciorum item duos, unde deſumta l. 8. C. ad leg. Jul. Maj. ſingulares quoque libros fecit de Delatoribus ad hypothecariam formulam, & ad Stum Turpilianum. Denique & Digeſtorum libros ſeptem aut amplius compoſuiſſe probatur ex inſcriptione quadam, [y] niſi dicere malimus locum iſtum ex Marcelli libro ſeptimo Digeſtorum excerptum, quæ conjectura eo magis ſe mihi probat, quod Marcellum iſto libro dotalem materiam pertractaſſe aliunde apparet. [z] Videtur & Juriſconſultus noſter Conſtitutiones Divi Severi in unum Corpus redegiſſe, ut ex Conſtitutione quadam colligimus. [a] Citatur autem ab Ulpiano & Paulo.

x *Virg. lib. 3. Æneid.*

y *L. 17. de fund. dot.*

z *L. 59. de jure dot. l. 7. §. 1. l. 45. l. 49. de donat. inter. vir. & ux.*

a *L. 1. C. de comm. ſerv.*

Arrius Menander, fuit temporibus Antonini Caracallæ Conſiliarius Principis, ideoque à Tutela excuſari meruit etiam ſuſcepta, [b] ut ex his verbis diſcimus, *ſuſceptam tutelam, non ſolent deponere quam qui transmare Reip. cauſa abſunt, vel hi qui circa Principem ſunt occupati, ut in Conſiliarii Menandri Arrii perſona eſt indultum.* Neque enim accedo Bertrando qui eum Conſiliarium Alexandri facit, cum quod Ulpianus libros ad Edictum ex quibus iſte locus deſumtus eſt, ſub Imperio Antonini ſcripſiſſe Colligatur aliunde, [c] tum quod Macer, qui ſub Alexandro ſcripſit, Me-

b *L. 11. §. 2. de min. 25. ann.*

c *L. 1. ſi is qui teſt. lib.*

Menandri hujus semel iterumque meminerit, ejusque auctoritatem ut auctoris probati adducat. [d] Itaque cum Menander Imperatoris sui mentionem facit de Antonino Caracalla loqui intelligendus est, [e] Scripsit autem de re militari libros quatuor. Certe alium hunc esse ab eo quem Pomponius [f] & Cicero in Balbiana nominant, rectè notat Bertrandus.

d L. 13. de re milit. l. 1. de vet.

e L. 4. §. 9. l. 5. §. 4. de re milit.

f L. 5. de Capt.

CAP. X.

Domitius Ulpianus, ejus origo, exilium, honores, ad libellos parere quid? elogum Ulpiani, errores circa eum Bertrandi, ejus Prudentia, mors, scripta, & an scripserit de officio Procoss: libros septem disceptatum, an tantus Christianorum hostis: Julius Paulus, ejus studia, honores, elogium, scripta.

STatui hoc Capite duos tantum Jurisconsultos enumerare, sed nobilissimos, quorum opera præcipuè adjuti sunt Pandectarum compilatores, ita ut ii quidem in magno isto opere utramque paginam facere videantur, eorum primus esto.

Domitius Ulpianus, ortum duxit ex civitate Tyriorum, quæ in Syria Phœnice sita est, ut ipse de se testatur. [a] Sub Severo & Antonino assessor Papiniani cum Paulo fuit: sub Antonino post obitum Severi pleraque sua scripta emisit, hæc enim sæpissime verba usurpat, *Imperator noster cum Divo patre suo rescripsit*, ubi cum hic verum Divum & patrem Imperatoris sui vocat, necesse est eum tunc inter vivos esse desiisse, Antoninum vero imperasse dicamus: meminit etiam alibi solius Antonini eumque Imperatorem suum vocat. [b] Ab Heliogabalo in omnes bonos crudeliter sæviente in exilium missus videtur, ex hoc loco, *Removit & Ulpianum*

a L. 1. de Censib.

b L. 4. de off. procoss. l. 3. de donat. inter vir. & ux.

pianum Juriſconſultum ut virum bonum. [c] Sed Alexander Severus ſimulatque ad Imperium pervenit, Ulpianum urbi reddidit, & ſummo in honore habuit, adeo ut eum Conſiliis omnibus adhiberet, *Ulpianum pro tutore habuit, primum repugnante matre, deinde & gratias urgente quem ſæpe à militum ira objectum purpuræ ſummæ* (hanc enim ut recte obſervat Bertrandus, nemini tangere fas erat) *defendit, atque ideo ſummus Imperator fuit, quod ejus Conſiliis præcipuè rempublicam rexit.* [d] Hinc Imperatori quam familiaris fuerit noſter Juriſconſultus vel hinc patet, quod (eodem narrante) eum ſæpiſſimè conviviis adhibebat, ut inſtrueretur, ſic ſe recreari dicens & paſci: eundem quoque in Palatium ad ſe cum præfecto prætorio ſolebat admittere. *Nunquam ſolum quenquam niſi præfectum ſuum vidit, & quidem Ulpianum exaſſeſſore ſemper ſuo, cauſa Juſtitiæ ſingularis. Quum autem alterum adhibuit & Ulpianum rogari juſſit.* [e] Honores porro ſub Alexandro varios geſſit Ulpianus, fuit enim ſcriniorum magiſter, ut hic locus docet, *Negotia & cauſas prius à ſcriniorum Principibus & doctiſſimis juriſperitis & ſibi fidelibus, quorum primus tunc Ulpianus fuit, tractari ordinarique atque ita ad ſe referri præcepit.* [f] quod forte ad libellos parere appellat Spartianus dum ait, *id probant Pauli & Ulpiani præfecturæ, qui Papiniano, in Conſilio fuerunt: ac poſtea cum unus ad memoriam* (Paulus Nimirum) *alter ad libellos* (nempe Ulpianus) *paruiſſet ſtatim præfecti facti ſunt.* [g] Fuit & præfectus Annonæ, cujus rei locupletiſſimum teſtem habemus ipſum Imperatorem Alexandrum cujus hæc ſunt verba, *Domitius Ulpianus præfectus Annonæ Juriſconſultus amicus meus.* [h] Denique & præfecturam prætorii geſſit, quanquam inter auctores incertum

[c] *Lampr. in vita Heliog.*

[d] *Lampr. in vita Alex.*

[e] *Lampr. d. loc.*

[f] *Lampr. d. loc.*

[g] *Spart. in Peſc. Nigr.*

[h] *L. 4. C. de cont. ſtip.*

tum est, an hunc ipsi honorem primus tribuerit Alexander, an ab Heliogabalo datum conservaverit. Aurelius Victor posteriori sententiæ adhæret, dum ait, *Domitium Ulpianum quem Heliogabalus prætorianis præfecerat, eodem honore retinuit.* [i] Xiphilinus è Dione narrat Ulpianum curasse, Flavianum & Chrestum interfici, ut ipse iis in præfecturâ succederet. [k] sed ego hanc Græci hominis suspicionem à vero Justitiæ singularis, ut eum Lampridius vocat, facile amoveri posse confido, si paulo attentius omnes rei circumstantias considéremus, præsertim cum apud latinos scriptores hac de re altum sit silentium. Lampridius sub utro Imperatore primum præfecturam gesserit in incerto relinquit, *Paulum & Ulpianum in magno honore habuit, quos præfectos ab Heliogabalo alii dicunt factos, alii ab ipso. Nam & Consiliarius Alexandri, & Magister scrinii Ulpianus fuisse perhibetur.* [l] *Certe & Alexander ipse Ulpianum præfectum prætorio & parentem suum appellat.* [m] Titulo ad invidiam usque glorioso. Neque tamen propterea Bertrando concedo quæstionem de pignore Edicto, cujus possessionem quis à Cæsare impetrasset, ad Ulpianum cum Præfectus esset relatam, [n] nam neque illic præfecturæ fit mentio & satis constat ex iis quæ supra adduximus, libros ad Edictum (unde is locus excerptus est) sub Antonino Caracalla scriptos, quo tempore præfectum eum fuisse nemo dixit. Male etiam ex alio quodam loco [o] infert idem Ulpianum habuisse auditorium (quale supra Papinianum habuisse diximus) nam nulla ibi auditorii fit mentio, sed simpliciter quæstio proponitur, & ad eam responsum Ulpiani subjicitur. Pejus etiam inde colligit Africanum meminisse Ulpiani, quia nec per ætatem potuit, ut supra demonstratum est, neque

i *Vict. in vita Alex.*
k *E. Dion. lib. LXXX.*
l *Lampr. in vita Al.*
m *L. 4. C. locat.*
n *L. 24. de pign. act.*
o *L. 43. de act. Empt.*

is

is locus est Africani, sed Pauli, ut ex inscriptione discimus. Cæterum ut in Rep. ordinanda aliquod prudentiæ civilis in Ulpiano exhibeamus exemplum, sufficit narrare quod à Lampridio memoriæ proditum est: habebat in animo Alexander omnibus officiis genus Vestium proprium dare, itemque omnibus servis, nequis seditiosus esset, *sed hoc Ulpiano Pauloque displicuit, dicentibus plurimum rixarum fore si faciles essent homines ad injurias:* p & merito sane, humiliores enim homines contemtui expositi fuissent, & servi de multitudine sua edocti facilius dominis numero longe minoribus violentas manus intulissent. Tandem Ulpianus noster cum exosus esset militibus, ob hanc præcipue causam, quod multa ab Heliogabalo concessa derogari fecisset à Prætorianis nocte ipsum invadentibus (pleno enim die nihil tale audebant Majestate tanti viri perterriti) in ipso pœne Imperatoris gremio interemtus est. q Neque tamen Epagethus tanti flagitii & suasor & Promotor hanc viri optimi cædem impunè diu tulit, cum enim primum Præfectus in Ægyptum missus esset, postea in Cretam reductus condemnationem non effugit. Multa hujus Ulpiani in Pandectis & Codice extant elogia, nam à Modestino (discipulo ut videbimus suo) inter coryphæos Jurisconsultorum refertur, r idem *Egregius* s *& Nabilissimus*, t dicitur: Diocletiano vero Imperatori, *vir Prudentissimus*, u & Justiniano *vir disertissimus*, x item *summi ingenii vir*, y *& sapientissimus* nominatur. z Scripsit autem Jurisconsultus hic notas ad Papinianum, a & ad Marcellum, bb non item ad Aristonem, ut Bertrandus, ex quodam Marcelli Aristonem referentis loco, male infert: c neque etiam ad Minicium, est enim inscriptio, quam ille in argumentum trahit Juliani, non Ulpiani. d Ci-

p *Lampr. in vit. Alex.*

q *Xiphil. e. Dion. lib. LXXX.*

r *L. 13. de Exc. Tut.*

s *L. 2. qui pet. cur.*

t *L. 4. de Excus.*

u *L. 11. C. de quæst.*

x *L. fin. C. de Inst. & sub.*

y *L. 1. §. 9. C. de cad. Toll.*

z *Nov. 97.*

a *L. 31. de neg. Gest.*

bb *L. 27. de pign. l. 28. de adm: & per:*

c *L. 9. de jur. Codic.*

d *L. 206. de verb. sig.*

tatur porro hic noſter à Modeſtino loco jam indicato, Paulo [e] item, & Macro. [f] Reliquit & alia ingenii ſui monumenta, quorum in Indice hæc recenſentur, ad Edictum libri octuaginta tres: ad Sabinum quinquaginta & unus: ad leges Juliam & Papiam viginti: diſputationum decem: de omnibus Tribunalibus, decem. Pandectarum, ut index præfert, libri decem, aut potius (ut ex inſcriptione quadam conſtat [g]) liber ſingularis. Fideicommiſſorum libri ſex: de adulteriis quinque; & ad legem Juliam de adulteriis libri duo, ut ex inſcriptionibus diſcimus, [h] videntur enim ii à ſuperioribus diverſi ex collatione inſcriptionum: [i] Item de appellationibus libri quatuor: de officio Conſulis tres: inſtitutionum duo: de cenſibus ſex: reſponſorum duo: & præterea ſingulares his titulis, de ſponſalibus: de officio Præfecti urbi: de officio Præfecti vigilum: de officio curatoris Reipublicæ: de officio Prætoris tutelaris: de officio Quæſtoris, quanquam hic tractatus in duos libros diviſus fuiſſe videtur. [k] His adde, ex diverſis Pandectarum locis, ad Edictum Ædilium curulium libros duos: [l] ad legem Æliam Sentiam libros quatuor aut plures: [m] de officio conſularium, [n] itemque excuſationum [o] libros ſingulares. Poſſet ſane quis ex inſcriptione quapiam ſuſpicari Ulpianum libros Digeſtorum quadraginta & octo ſcripſiſſe, ſed recte notat Antonius Auguſtinus mendum in inſcriptione ſubeſſe, & Juliani nomen reponendum. Scribit Bertrandus aliique auctores ex loco quodam Lactantii male intellecto, Ulpianum noſtrum Chriſtiano nomini fuiſſe infenſiſſimum, & ſeptem reſcripta Principum quæ contra Chriſtianos emanaverit, libris de officio Proconſulis inſeruiſſe: ſed ego, ut inveteratam opinionem animis eximam, id ex Lactantii loco confici poſſe

[e] L. 43. de act. Empt.
[f] L. 15. qui ſatiſd. cog.
[g] L. 24. de reb. cred.
[h] L. 17. 19. 25. ad leg. Jul. de adult.
[i] L. 15. 16. 26.
[k] L. 3. de juriſd. om. J.
[l] L. 37. 38. de æd. Ed.
[m] L. 30. qui & aq. man.
[n] L. 25. de reb. cred.
[o] L. 7. de Excuſat.

posse nego, qui ex recensione Erasmi ita legitur. *Domitius de officio proconsulis, libris septem rescripta Principum nefaria collegit, ut doceret quibus pœnis affici oporteret eos qui se cultores Dei confiterentur.* p Hic locus ut sententiam Bertrandi juvaret, ita erat distinguendus, *Domitius de officiis procoss. libris, septem rescripta P. N. collegit* Sed longe aliter jam legitur, quare hoc indicat. Domitium quempiam (non autem Ulpianum nostrum) scripsisse libros septem de officio Proconsulis, atque in iis collegisse varia rescripta Imperatorum contra Christianos, iisque totos septem libros expleviſse: nam ut sola septem rescripta à Lactantio indicari putemus, institutum auctoris vetat, qui cum toto isto capire cruciatus Christianis adhibitos & sævitiam in eos exercitam quantum fieri potest exaggerasset, nunquam sub finem capitis tam pauca rescripta ab Impp. emissa, & ab aliquo in unum fascem collecta, coronidis loco subjecisset. Plurima enim cum à singulis fere Imperatoribus Christianorum odio constituta ex historiis discamus, plurima quoque illum, quisquis fuit, collegisse & in literas misisse credibile est: quæ quidem totis septem libris conſarcinandis sufficientem præbuerunt materiam. Id autem de Ulpiano hoc nostro intelligi non potest, qui libros decem de officio Proconsulis, non vero septem composuit: neque libris septem prioribus de Christianorum supplicis agit ut ex locis inde adductis patet: q Præterea tempore Antonini Caracallæ (non autem ut Bertrandus credi vult, Heliogabali) istos libros scriptos prædicta loca ostendunt, quo tempore Christianos ad munera & honores admissos fuisse ex loco, r qui Ulpiani est, libro tertio de officio Proconsulis, recte contra Alciatum f probat Bertrandus. Quid autem opus fuis-

p *Lact. divin. Inst. lib. 5. c. 11.*

q *L. 4. 6. 7. 9. de off. Procoss.*

r *L. 3. §. 3. de decur:*

f *Alc. lib. 3. Disp. c. 8.*

ſet de pœnis Chriſtianorum tunc temporis ſcribere, cum Chriſtiani teſte Tertulliano extra pœnam eſſent poſiti, ut ſequentia indicant, ſed & *Clariſſimas fœminas & clariſſimos viros Severus ſciens hujus ſectæ eſſe, non modo non læſit, verum & teſtimonio & populo fu-*
t *Tert: ad Scap:* *renti in os palam reſtitit.* t Fuit itaque ille Domitius alius ab hoc noſtro, qui ſub neſcio quo Imperatore anteriore libros de officio procoſſ. ſcripſit, alii ut Chriſtiani nominis odium huic noſtro impingant, textum in l. 1. §. 3. de Extraord: cogn: adducunt, ibique omnes Chriſtianos ab eo impoſtores appellari volunt, ſed cum etiam inter Ethnicos fuerint exorciſtæ, de quibus illic ſermo eſt, ut ex hoc Text: loco patet *qua conſtantia exorciſant alumnos ſuos*, de idololatria: certum inde argumentum peti non poteſt. Cæterum, ut ad Juriſconſulti noſtri ſcripta redeamus, Ulpianus moderati animi fuiſſe videtur, unde plerunque mediam ſequitur viam & præfractis aliorum ſententiis temperamentum aliquod ſolet adhibere, ut diſſidentes conciliet.

Julius Paulus, Patavinus origine fuiſſe videtur, ut probat ſtatua Patavii ſupra officium Magiſtratus poſita, niſi forte eam Julio Paulo Poëtæ & viro doctiſſi-
u *Agell. lib. 5. c. 4. & lib. 19. c. 7.* mo, cujus meminit Agellius u coævus ejus, collocatam fuiſſe ſuſpicari malumus. Fuit ſane hic noſter ſtu-
x L. 7. §. 1. *de edendo l. 9. de ſupell. leg.* diis Græcis addictus, ut varia oſtendunt loca: x inde tamen non ſequitur (ut Bertrandus ait) Græcum hominem fuiſſe, nam & alios Juriſconſultos anteriores & proculdubio Romanos Græcis aliquando verbis, & Græcorum auctoritate uſos ſupra annotavimus. Neque ad rem facit quod Paulus alibi ita ſcribit, *Nomen*
y *L. 4. de pen. leg.* *penus mihi traditum eſt omnibus generibus ſumi*, y potuit enim illud ab aliquo Grammatico didiciſſe, ſolebant

bant enim Grammatici obsoletas ex antiquis auctoribus voces ruspantes ea observare, quæ ab ipsis Romanis sine ullo dispendio poterant ignorari: exemplo sit ille apud Agellium, [z] qui in vestibulo ædium Palatinarum hanc ipsam de voce penus observationem populo inculcabat. Quod vero Bertrandus addit Paulum servitutes corpora appellasse, sed loco non bene judicato id καταχρηστικῶς accipi potest, inscitiæ vero imputari nequit, nam ipse Paulus alibi sententiam suam manifestissime declarat, dicens *Servitutes etiamsi corporibus accedunt, incorporales tamen sunt.* [a] Cæterum huic nostro Paulo cum Ulpiano in multis convenit uterque Jurisconsultus eximius, uterque assessor Papiniani (errat enim Rivallius, qui Paulum Javoleno operam dedisse scribit) uterque ab Heliogabalo exactus, ab Alexandro in consilium allectus fuit: de hac re ita Victor, *Paulo inter exordia patriæ reddito, juris auctoribus, quantus erga optimos atque æqui studio esset edocuit.* [b] Videtur certe Paulus Imperatori à memoria fuisse, ut ex Lampridii in Pescennino Nigro loco supra probavimus: illud constat gessisse eum præfecturam, ut evincunt loca supra hoc capite allegata. Fuit & Paulus cum Ulpiano Imperatori Alexandro auctor, ne servos à liberis humiliores ab alterius sortis hominibus vestitus genere distingueret. Præturam primum nactum, deinde & consulatum gessisse constanter scribit Rivallius, sed ego cum nulla in eam rem reperiam argumenta, nec in Fastis nec alibi, errare ipsum non dubito. Vocat hunc nostrum Lampridius *Jurisperitissimum*, [c] Gordianus [d] & Diocletianus, [e] *Prudentissimum*, Modestinus vero illi inter coryphæos Jurisconsultorum locum dat. [f] Scripsit tam multa in jure Paulus, ut nemo Jurisconsultorum plures confecerit

z *Agel. lib. 4. c. 1.*

a L. 14. *de servit.*

b *Vict. in vita Al.*

c *Lamprid. in vita Al.*

d L. 6. C. *de nupt.*

e L. 11. C. *ad leg. Cor. de Fal.*

f L. 13. *de Excus.*

libros, eorum quidam sub Antonino Caracalla publicati videntur, [g] quidam post mortem Antonini, nam eum quandoque Divum appellat: [h] horum rursus alii sub Heliogabalo in lucem emissi sunt, alii sub Alexandro, prius colligi videtur ex quodam loco, [i] ubi Paulus postquam meminit Divorum Severi & Antonini, & hujus quidem iterum subdit hæc verba, *Imperator noster Antoninus civitatem Emisenorum Coloniam & juris Italici fecit*: quod Heliogabalo (cujus avia Mæsa sive Varia ex Emisena urbe originem traxit) omnino tribuendum videtur. Posterius de scriptis sub Alexandro editis, ipse testatur dum in libris responsorum Alexandrum Imperatorem nominat. [l] Notavit autem Paulus ad Javolenum, [m] ad Labeonem, [n] ad Julianum, [o] ad Scævolam, [p] quem & aliquoties suum vocat, [q] & denique ad Papinianum. [r] Citatur ipse à Macro [f] & Modestino, [t] neque aliis, ipse omnium fere qui ante se scriptis claruerunt, mentionem facit. Reliqua ejus scripta hæc in Indice enumerantur, ad Edictum libri octuaginta: quæstionum libri viginti: responsorum viginti tres: brevium, sive brevis Edicti totidem: ad Plantium libri octodecim, ad Sabinum libri sexdecim (vel potius triginta duo [u] aut etiam quadraginta septem [x]) ad leges, nempe Juliam & Papiam libri decem: (melius dicemus duodecim, ut quædam habet inscriptio [y]) regularum libri septem: regularum item liber unus: Imperialium sententiarum in cognitionibus prolatarum libri sex, ita enim accipienda sunt Indicis verba, ut ex alio loco patet: [z] sententiarum libri quinque, ad Vitellium libri quatuor: ad Neratium totidem: Fideicommissorum libri tres; Decretorum totidem, itemque de adulteriis & Manualium terni: Institutionum, & de officio

g L. 15. *qui & aqu. man.*
h L. 4. §. 1. *de inc. ruin. n.*
i L. 8. §. 6. *de Censib.*
l L. 25. *de appell. l.* 87. §. 3. 4. *de leg.* 2.
m *L.* 60. *de acq. vel am. har.*
n L. 5. *de Instr. & Instr.*
o L. 75. *de judiciis.*
p L. 26. *qui & à q. man.*
q L. 27. §. 2. *de pact. l.* 38. *de vulg. & pup.*
r *L.* 1. *de off. ej. cui mand. jur.*
f *L.* 1. *de vet: & mil.*
t L. 13. *de Excusat.*
u *L.* 31. *de usucap.*
x L. 10. *de obl. & act.*
y *L.* 2. *de Concub.*
z L. 13. *de Cond. & Dem.*

officio Proconsulis bini: ad legem Æliam Sentiam tres: de Censibus duo: ubi obiter notandum titulum qui regularum librum unum præfert, & ante libros de Censibus in Indice reperitur, omnino hoc loco exturbandum esse, cum jam antea libri singularis ita inscripti facta sit mentio. His tot voluminibus extra Catalogum adjungendi sunt, ad Edictum Curulium Ædilium libri duo. [a] Libros quoque singulares pœne infinitos compositi, horum nomina recensetCatalogus Pandectis præfixus. De pœnis Paganorum: de pœnis militum: de pœnis omnium legum: de usuris: de gradibus & affinibus: de jure Codicillorum: de Excusationibus tutelarum: ad Regulam Catonianam: ad Sctum Orfitianum: ad Sctum Tertullianum: ad Sctum Silanianum: ad Sctum Vellejanum: ad Sctum Libonianum seu Claudianum: (unus enim idemque liber est, licet diversis titulis allegetur) de officio Præfecti Vigilum: de officio Præfecti urbi: de officio Prætoris tutelaris: de Extraordinariis criminibus: de hypothecaria: ad Municipalem: de Publicis judiciis: de inofficioso Testamento: de septemviralibus aut potius ut recte Bertrandus legit centumviralibus judiciis, egit enim illis libris de inofficioso Testamento, [b] cujus generis causæ ad centumviros spectabant: [c] de jure singulari: de secundis Tabulis: de Oratione Divi Severi: ad Orationem Divi Marci: (sive ut inscriptiones habent ad orationem Divi Antonini & Commodi, nisi hunc librum à priore diversum facimus) ad legem Vellejam: ad legem Cinciam: ad legem Falcidiam: de tacito Fideicommisso: de portionibus quæ liberis damnatorum conceduntur: de juris & facti ignorantia: de adulteriis: de instructo vel instrumento: de appellationibus: de jure libellorum: de Testamentis: de jure Patrona-

[a] *L. 55. de Cntr. Empt.*

[b] *L. 7. 28. 30. de Inoff. Testam.*

[c] *L. 13. ibid.*

tronatus: de jure Patronatus quod ex lege Julia & Papia venit; de actionibus: de concurrentibus actionibus: de interceſſionibus fœminarum: de donationibus inter virum & uxorem: de legibus: de legitimis hæreditatibus: de libertatibus dandis: de Senatuſconſultis. Notandum porro eſt multorum librorum nomina in Catalogo nobis eſſe conſervata, è quibus reliquæ nullæ in Pandectis ſuperſunt, rurſus aliorum librorum nomina omiſſa ſunt, quos ex inſcriptionibus legum Pauli eſſe palam fit, Exempli gratia liber ſingularis ad legem Fuſiam Caniniam: [d] item de cognitionibus: [e] de officio adſeſſorum: [f] ad Sctum Turpilianum: [g] de conceptione formularum: [h] de aſſignatione libertorum: [i] de liberali cauſa: [k] (ſive de articulis liberalis cauſæ, eundem enim eſſe opinor [l]) de dotis repetitione. [m] In quibus omnibus libris multa ita ſcribit Paulus, ut ſæpe ab aliis Juriſconſultis diſſentiat: multas item perplexas quæſtiones tractat, quas ipſe quoque ſatis obſcure ſolvit.

d L. 37. de Cond. & dem.
e L. 9. de Conſ. Tut.
f L. Fin. de off. Præſ.
g L. fin. de ritu Nupt.
h L. 20. de Except.
i L. 59. de rit. Nupt.
k L. 33. de lib. cauſ.
l 41. d. Tit.
m L. 68. de Reg. jur.

CAP. XI.

Sextus Pedius, ejus ætas, ſcripta, defenſus Pandectarum locus: Tuſcianus, de eo conjectura: Puteolanus: Tarentenus Paternus ejus honores, mors, Vegetii locus explicatus: Pactumejus Clemens: Papyrius Fronto: decreta Frontiniana quæ? Meſſius: Anthus: Fabius Sabinus, error circa eum Rutilii, explicatus Index Pandectis præfixus: Rutilius Maximus, error in eo Bertrandi: Arcadius Chariſius: Jul: Gallus Aquila: Paconius: Claudius Saturninus, ejus ſcripta, error in Indice: Quintus Saturninus.

POſt Excellentiſſimorum duorum Juriſconſultorum vitas, quo nos continua ſucceſſionis ſeries deduxit,

duxit, non abs re videtur esse si alios aliquot minus nobiles, qui quidem post Adrianum Imp: vixerint, subnectamus, eorum primus erit.

Sextus Pedius, & quandoquidem. Rutilius in incerto esse dicit quo tempore vixerit liceat nobis divinationem ea de re instituere. Ego quidem cum videam Pedii auctoritatem à solis Ulpiano & Paulo allegari, & ab iis quidem sæpiuscule, facile inducor ut credam ex anterioribus Jurisconsultis non fuisse, secus si foret procul dubio apud alios quoque ulla ejus extaret memoria. Ut vero etiam post Hadrianum collocem facit locus quidam, ubi is Juliani sententiam probasse & rationibus firmasse deprehenditur: [a] rursus alibi Pomponio præfertur, & ita quidem ut Pomponius Pedii opinionem probet, eique aliquid adjiciat. [b] Itaque hinc nostro circa Divi Pii tempora locum facio. Quæ de Pedio quodam ex Persio afferuntur, *Fur es ait Pedio, Pedius quid? Crimina rasis librat in anthitetis*, ea alieni loci sunt, neque ad hunc nostrum referri temporum ratio patitur. Scripsit autem Pedius multa ad Edictum, nam libri vigesimi quinti mentionem facit Paulus, [c] ubi ille scriptum reliquerit *notas litteras non esse*: præcipue vero ad Edictum ædilium commentatus fuisse videtur. Composuit & librum de stipulationibus, [d] unde hæc verba afferuntur, *Nihil refert proprio nomine res appelletur, an digito ostendatur, an vocabulis quibusdam demonstretur.* Extant & alibi aurea ejus dicta, ut, *quoties lege aliquid unum vel alterum introductum est, bona occasio est, cætera quæ tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretatione vel certe jurisdictione suppleri*, [e] itemque *optimum est non propriam verborum significationem scrutari, sed imprimis quid Testator demonstrare voluerit, deinde in qua præsumtio-*

[a] L. 32. §. 16. de rec. arb.

[b] L. 1. §. 3. de dol. mal.

[c] L. 6. §. 2. de bon: poss.

[e] L. 13. de legib:

ne sint, qui in quaque regione morantur. f Cæterum præteriri hoc loco non debet Bertrandum alibi non recte legere, ait Julianus sextum Pedium referre Sabinum respondisse, g nam illic non de Sexto Pedio, sed de Sexto Pomponio sermo est, neque hic Codicum fides vacillat, sicuti supra demonstravimus.

f L. 18. §. 3. de Instr. & Instr. leg:

g L. 63. §. 9. pro soc.

Tuscianus, cum hujus Jurisconsulti, tantum semel in toto Pandectarum opere fiat mentio, h putant Antonius Augustinus & Hottomannus legendum *Mæcianus*: sed ego rationem nullam invenio cur Mæcianus qui sub D Pio & Marco præcipue floruit, à Pomponio ante Julianum qui sub Adriano celeberrimus fuit, nominari credendus sit: præsertim cum Mæcianus Juliani mentionem faciat, i (ut in vita ejus dictum) Julianus vero nusquam Mæciani, accedit quod & Pomponius ipse Mæcianum nuspiam aut laudat aut nominat. Quare fere in ea sum sententia ut credam *Viviani* nomen (de quo supra egimus) subsitui non inepte posse: nisi dicere malumus *Tuscium Tuscianum*, qui temporibus divi Pii Numidiæ legatus fuit, k eum esse quem Pomponius denotare voluerit, atque eo pacto locum corrigendum, quod geminatio litterarum affinium suadere videtur.

h L. 2. de orig. jur.

i L. 32. ad leg. Falc.

k L. 7. de leg: Præst.

Puteolanus, scripsit circa eadem fere tempora libros Adsessoriorum (ita lego) sicut patet ex Ulpiani loco, l neque quicquam de hoc Jurisconsulto præterea reperio, cujus & ipsum nomen intercidisset, nisi ejus aliquam Ulpianus dicto loco conservasset memoriam.

l L. 12. de Pact.

Tarentenus Paternus, scripsit de re militari libros quatuor, ut ex Indice Pandectis præfixo patet, ex quorum primo & secundo duo omnino in Pandectas capita relata sunt, m de hujus scriptoris ætate Antonius Augustinus sibi liquere negat, mihi hoc constat eum

m L. fin. ff. de jure im. c. 7. de re milit.

eum ante Alexandrum scriptis claruisse, cum Macer (qui sub Alexandro vixit) eum laudet: [n] prioribus autem Jurisconsultis annumerari non posse, cum in allegatis locis multa recensentur munera militaria, quæ prioribus sæculis in usu fuisse non videntur: quare ei sub Commodo locum assignare non dubito, Præfectum etiam Prætorii fuisse, & primo quidem specie honoris ab ea administratione submotum, mox etiam prætextu conjurationis à Commodo cæsum, contendo ex his Lampridii locis, [o] *crudelis vita Commodi Quadratum & Lucillam compulit ad ejus interfectionem consilia inire non sine Præfecti Prætorio Tarenteni Paterni consilio, & postea, Paternum autem paratæ necis Commodi conscium & interventorem ne conjuratio latius puniretur, per laticlavi honorem à Præfecturæ administratione submovit, post paucos dies insimulavit eum conjurationis, quare eum interfecit,* (Meminit hujus nostri & Vegetius dum se in suo opere dicere ait) *quæ Cato ille censorius de disciplina militari scripsit, quæ Cornelius Celsus, quæ Frontenus perstringenda duxerunt; quæ Paternus diligentissimus Jurismilitaris assertor in libros redegit: quæ Augusti, & Trajani Adrianique constitutionibus cauta sunt.* [p] Unde erronèe infert Bertrandus Paternum tantum ea scripsisse, quæ Augustus, Trajanus, Adrianus constituerant; cum id autor nolit, qui earum constitutionnm, ut operis separati, mentionem facere voluit.

[n] *L. 12. §. 1. de re mil.*

[o] *Lampr. in vita Com.*

[p] *Veg. lib. 1. c. 8.*

Pactumejus Clemens, tempore Antoninorum vixisse auctoritate Pomponii probatur dum sic loquitur, [q] *Pactumejus Clemens ajebat si ita sit fideicommissum relictum: cui eorum voles rogo restituas: si nullum elegisset, cui restitueret, omnibus deberi Imperatorem Antoninum constituisse.* Pactumei magni mentio

[q] *L. 21. §. 1. de statu lib.*

quæ alibi occurrit, [r] huc pertinere non videtur.

Papyrius Fronto, Plures diversis temporibus fuerunt Frontones, quorum Historia ad rem nihil pertinet. Noster certe Jurisconsultus vixit ante vel circa Severum Imperatorem: citat enim eum ejus ætatis Jurisconsultus Callistratus, in libro tertio responsorum, [f] & in incerto libro alibi [t] eundem laudat Marcianus, dum ait, peculium nascitur; *Crescit, decrescit, moritur, & ideo eleganter. Papyrius Fronto dicebat, peculium simile esse homini:* [u] & alibi etiam Scævolæ conjungit. [x] Quare quæ Bertrandus de *Decretis Frontinianis Aristonis* affert, [y] huic Frontoni minimè conveniunt: nam & fides Codicum eo loco est suspecta, eum alii *Frontianis*, alii *Frontinianis*, alii *Frontonianis* legant, & vixit circa Aristonis tempora Julius Frontinus, qui de aquæductibus & stratagematibus scripsit, à quo decreta Frontiniana nomen sumere potuerunt, nam & ipse à Cuspiniano [z] Jurisconsultus fuisse perhiberur: nisi hæc ad alium quempiam Consulem (cujus supra fit mentio) referre malumus. Nominat & Marcum Frontonem consularem Agellius, qui suo tempore cum Phavorino doctissimè de coloribus disputaverit, [a] atque eundem esse puto, qui in inscriptione ab Onuphrio relata, *M. Cornelius Fronto Orator & Consul, Magister Impp. Antonini & Lucii appellatur;* cujus consulatum in annum sextum Severi rejiciendum puto, tunc enim consulem Frontonem sine ullo prænomine Fasti agnoscunt: hujus nepos ut hic noster fuerit (quemadmodum Bertrandus putat) non inverisimile est. Scripsit autem Fronto ut ex allegatis locis apparet responsorum libros. De Papyrio Justo nihil hic addo, ne actum agam, id enim supra attigi.

Mes-

r *L. fin. de Vulg. & Pup. subst: & Lampr. in vita Comm:*

f *L. 220. de Verb sign:*

t *L. 4. §. fin. ad leg: Rhod. de jactu.*

u *L. 40. de Pec.*

x *L. 114. §. 7. de leg. 1.*

y *L. fin. de acq. vel am. hær.*

z *Cuspin.*

a *Agell. lib. 2. c. 6.*

Messius, sub Severo floruisse demonstrari facile potest, ex quodam loco ubi is Imperator ex Consilio Papiniani & Messii causam fiscalem terminasse dicitur. [b] Quæ de Mæcio Probo aliisque diversorum temporum Mæciis Bertrandus colligit, huc nullo modo quadrant, cum noster in omnibus codicibus Messius dicatur.

[b] *L. fin. de jur. Fisc.*

Anthus, sive *Thorus*, aut *Furius Antianus* ter omnino in Pandectis à compositoribus allegatur, [c] in legibus Titulorum finalibus. De hujus ætate nihil certi habeo, imo nec conjecturis assequi possum, nisi forte dicamus eundem esse qui à Paulo *Antæus* dicitur, [d] neque abludit materia, scripsit enim Furius Antianus libros ad Edictum, ut ex Indice & inscriptionibus videre est, & Paulus dicto loco in libris ad Edictum Antalum citat.

[c] *L. fin. de Pact. l. fin. de dolo l. fin. de rei Vind.*
[d] *L. 14. de Publ.*

Fabius Sabinus, fuit tempore Heliogabali consularis vir, quem cum ille occidi jussisset, centurio aure surdior imperari sibi credidit ut urbe pelleretur, itaque fecit. [e] Claruit & sub Alexandro ejus filius qui Cato sui temporis fuit appellatus: [f] utrumque inter Jurisconsultos recenset Rutilius, sed errare videtur, meo quidem Judicio, nam ut de filio concedamus, de Patre certe nulla id evincet ratio: neque enim libri tres Juris civilis, Epistolarum octo ad Vitellium viginti, sunt horum temporum, sed plerique Masurii Sabini sunt, ut antea demonstratum est. Quod autem de Epistolarum libris dicitur, ex Indice male Intellecto ortum habet, ubi post Sabinum subjicitur Proculus, qui libros Epistolarum octo scripsit. Denique & ipse qui alios in errorem induxit Lampridius frustra est, dum ait Ulpianum ad hunc Sabinum libros suos scripsisse, [g] sicut ab Antonio Augustino, Bertrando, aliisque viris longe doctissimis jam diu est annotatum.

[e] *Lampr. in vita Hel.*
[f] *Lampr. in vita Alex.*
[g] *Lampr.*

Rutilius Maximus, citatur in unica inscriptione, idque in libro singulari ad legem Falcidiam, [h] quem posteriorum temporum Jurisconsultum esse ex Indice Pandectis præfixo, recte suspicatur Cujacius. Neque urget in contrarium argumentum Bertrandi, dum negat in Haloandrina & vulgari editione, inscriptiones duarum legum si hæres, de Leg. 1. Maximo tribui: hoc enim viro optimo imposuit quod duas tantum leges sub titulo de legatis contineri credidit, quarum idem sit initium, si hæres cum tamen quatuor tales occurrant, quarum postrema ordine, quæ & tituli antepenultima est, hanc inscriptionem in Pandectis Florentinis aliisque præse fert, quod ille minus animadvertens, quæ hujus nostri sunt, Cornelio Maximo Trebatii præceptori perperam tribuit.

h L. *si hæres.* 125. *de leg.* 1. *Cui. lib: obs.* 2. *c.* 22.

Aurelius Arcadius Charisius. Vixit quantum quidem ego colligere possum post Alexandrum, nam & Modestinum ejus ævi Jurisconsultum citat, [k] & multa vocabula barbara explicat, quæ & passim in ejus scriptis occurrunt, ut sunt voces *Participales*, *regimentum*, [l] *& incunctabile*. [m] Fuit autem Magister libellorum supplicum, ut ex iis locis discimus: scripsit & librum singularem de Testibus, itemque de officio Præfecti Prætorio & de muneribus civilibus. Quod in inscriptionibus quarum in Codice legum de hoc nostro Jurisconsulto agi vult Bertrandus, mihi minus placet, nam una tantum Arcadii cujusdam facit mentionem, [n] plures autem eo nomine fuisse certum est: & altera non est scripta ad Charisium, sed Chariſſimum; [o] ut vulgatos habere Codices ipse fatetur. Fuisse hunc nostrum Christianum tradit Cujacius, [p] vellem argumenta quæ in eam rem habuit vir undecumque maximus adscripsisset, nunc ejus auctoritati nullis (quas quidem ego vide-

k L. 18. *de min & S.*

l L. 1. *de off: Præf. pr.*

m L. 21. *de Testib:*

n L. 4. C. *de Calumn:*

o L. 9. C. *de quæst.*

p *Cuj. lib.* 7. *obs. c.* 2.

viderim) rationibus suffulta, hæc conjectura innititur.

Julius Gallus Aquila, bis omnino in Pandectis respondisse legitur, [q] & utrobique tradit ad instruendum judicem servos quoque pupillorum posse interrogari: quod cum à Severo etiam ad torturam ipsam sit productum, [r] forte inde non absurdè colligetur hunc Jurisconsultum ante Severum vixisse: nam quod de rescripto quodam Adriani ad Vitrasium Pollionem emisso & ab hoc nostro relato scribit Bertrandus, [s] id aliter se habere ex inscriptione, quæ Ulpiani est, facile patebit. Antonius Augustinus ex Plinio majore lib. 2. & 11. natur: histor: non addito capitis numero, didicisse se ait, L. Julium Aquilam scripsisse de Hetrusca disciplina, mihi istos libros obiter perlustranti locus ille non occurrit, quare certi nihil definire audeo. Appellatur hic noster in Indice Gallus Aquila, in inscriptionibus legum Gallus Aquila: quod de Aquila Romano, qui de figuris scripsit, adjungit Ant: Aug: id hujus loci non est, neque enim aut ille Gallus, aut noster Romanus dictus fuit,

[q] L. 34. de adm: Tut. l. 12. de susp. Tut.

[r] L. 1. §. 3. de Tut: & curat:

[s] L. 15. §. 16. de Excus.

Paconius, citatur à Paulo, qui eum dixisse refert, si emancipatus à parente turpes personas hæredes fecerit, totorum bonorum possessionem parenti dari. Meminit Paconi; cujusdam sub Tyberio Majestatis rei Suetonius, [u] meminit & Paconii Agrippini cum Helvidio Prisco civitate pulsi Tacitus, [x] cujus constantiam & Arrianus & Epictetus laudaverunt: sed argumenta mihi nulla sunt, quibus aut hunc aut illum Jurisconsultum fuisse evincam, rem itaque in medio relinquo.

[t] L. 3. si à par: quis man. fu:

[u] Suet. in Tyb. c. 61.

[x] Tac: lib. 16. ann:

Claudius Saturninus, scripsit librum singularem de pœnis paganorum, [y] ubi multa egregia de pœnis earumque

[y] L. 16. de Pœnis.

rumque natura affert, petitis etiam ex Homero testimoniis, ut litterarum amantissimum agnoscamus. Hunc ego eundem esse arbitror qui sub Divo Pio & Divis fratribus præturam exercuit: [z] ejusdem & alibi mentionem fieri puto, [a] propter affinitatem quam ista loca habent cum materia pœnarum ab hoc auctore tractata: forte & eundem memorari non male dixerimus, ubi Saturnini nomen sine ulla prænominis adjectione occurrit: [b] nec obstat huic nostræ sententiæ Catalogus Pandectis præfixus, in quo liber de pœnis paganorum Venulejo Saturnino adjudicatur, quem diversum ab hoc nostro esse contendimus: quia illi Catalogo non omnimoda fides adhibenda est, cum multorum Jurisconsultorum opera in eo omissa videamus, aliqua etiam adscripta quorum nulla in Pandectis extant fragmenta, quidni igitur & hic aliquid perperam positum liceat suspicari? præsertim cum l. 15. de pœnis Venuleji Saturnini nomen præferat, lex vero sequens Claudii Saturnini: cujus profecto nomen compilatores Digestorum secundo loco non expressissent, nisi duo isti diversi essent Jurisconsulti, cum enim ejusdem Jurisconsulti plures ordine loci recensentur, non solet ejus nomen sæpius tædiosè iterari, sed repetitur vox idem, sicut millies usu venire videmus: potius itaque est ut in Catalogo, quam in inscriptione mendum subesse putemus.

z L. 1. §. 2. *quæ res pign.* l. 6. §. 7. *mandati.*
a L. 1. *de abigeis.* l. 1. *de effract:* l. *fin. de cust. & exh. reor.*
b L. 1. *de Senat.*

Quintus Saturninus, forte Claudii frater aut propinquus, fere circa eadem Divorum fratrum tempora vixisse probari videtur ex loco quodam in quo Marcello consensisse ejusque sententiam argumentis firmasse dicitur. [c] Eundem libros ad Edictum decem scripsisse aliunde discimus. [d] Hunc quoque alium à Venulejo Saturnino esse arbitror, quia Ulpianus eum bis Quintum

c L. 13. §. 5. *de jurej:*
d L. 19. §. 7. *de aur: arg:*

tum appellat dictis locis, cum Venulejus nusquam eo nomine in legibus, quæ ex ipsius libris satis multæ excerptæ sunt, citetur: & forte hic est ille Saturninus, qui Quinto Severi anno cum Gallo Consul fuit: mihi certe distincta trium Jurisconsultorum nomina, sine ulla necessitate confundere, religio est.

CAP. XII.

Florentinus, ejus ætas, scripta: Venulejus Saturninus, ejus scripta: Licinius Rufinus, quando vixerit, Rufini plures, de ejus scriptis: Æmilius Macer: Herennius Modestinus, error circa eum Bertrandi: ejus honores, scripta, circa ea Bertrandi error. Hermogeniamus, de ejus ætate disceptatio, de pœna Legis Fabiæ de Plagiariis, Christianus an fuerit, & explicatus Pandectarum locus.

REdeundo ad reliquos majoris nominis Jurisconsultos qui sub Alexandro aut post eum vixerunt, ordinem ducat.

Florentinus, qui quo fuerit prænomine incertum est: illud patet vixisse eum post D. Pium, nam ejus constitutiones laudat; [a] ad Gajum etiam notasse quædam, multa quoque excerpisse videtur; [b] à nemine expostorioribus Jurisconsultis nominatur, unde colligimus eum ultimæ ætatis esse, præsertim cum Lampridius eum Imperatoris Alexandri consiliarium faciat. [c] Ego quanquam istum Lampridii locum merito habeam suspectum (ut supra aliquoties dixi) cum tamen nullæ in contrarium militent conjecturæ, aliquæ vero jam relatæ etiam illam confirment sententiam, hunc Jurisconsultum Ulpiano & Paulo posteriorem fuisse statuo. Litterarum & Grammatices non imperitum fuisse abunde constat. [d] Huic certe debemus egregiam

[a] L. 16. de acq. rer. do:
[b] L. 2. 4. 6. d. Tit.
[c] Lampr. in vita Al:
[d] L. 1. 3. de sponsal. l. 42. de mort. inf.

giam hanc sententiam, *cum inter nos cognationem quandam natura constituit, consequens est hominem homini insidiari nefas esse.* [c] Scripsit Institutionum libros undecim, stylo non inculto.

c *L. 3. de Just. & Jur.*

Venulejus Saturninus, diversus à Claudio & Quinto Saturninis quorum mentionem supra fecimus, eodem fere Alexandri tempore floruisse videtur, tum ex dicto Lampridii loco tum ex inscriptione cujusdam constitutionis, quæ ad hunc nostrum ab Alexandro emissa est, [f] inter cujus consiliarios à Lampridio collocatur. Illud omnino constat eum aliquamdiu post Hadrianum & Julianum vixisse, nam utriusque meminit. [g] Plura non addo de aliis diversarum ætatum Saturninis, hoc tantum dicam Ulpiani & Marciani verba cum de Saturnino loquuntur non de hoc nostro, sed Quinto vel Claudio supra memoratis, meo judicio accipienda: forte etiam Modestinus alterum ex iis designat, cum Saturnini auctoritatem citat. [h] Certe hic noster in Indice Venulejus nominatur, in multis vero inscriptionibus Venulejus Saturninus: scripta ejus in Indice hæc enumerantur, stipulationum libri novemdecim: actionum libri decem: de officio Proconsulis libri quatuor: Publicorum, sive de Publicis judiciis libri tres: de Interdictis libri sex. Plura ejus monumenta Index non agnoscit, delendus enim est hoc loco liber de pœnis paganorum, quem nos supra Claudio Saturnino asseruimus: sed rursus substituendi aliquot, certe septem disputationum libri, quos ejus nomen prætulisse testatur inscriptio. [i]

f *L. 1. C. quib: non obj: long: Temp. pr.*

g *L. 2. si ingen: esse d. l. 12. de duob: reis.*

h *L. 14. de Cust. & Exh. reor:*

i *L. 18. Judic. Solvi.*

Licinnius Rufinus, videri poterat sub Antonino Caracalla vixisse, nam eum Imperatorem nominat, [k] nisi ætas ejus manifeste colligeretur ex alio loco, ubi hic noster Julium Paulum Jurisconsultum per Epistolam

k *L. 41. de don: int. vir. & ux:*

lam consuluit petens plenissime instrui, [l] quare ei sub Alexandro locum assignabimus. Putat Bertrandus huic Licinio patrem fuisse Junium Rufinum, ad quem cum Proconsul Macedoniæ esset Hadrianus rescripsit; ego cum plures circa ista tempora in veniam Rufinos, nihil hac de re certi pronuntio. Meminit Plinius Trebonii Rufini viri egregii: vixerunt etiam sub Adriano Fabius Rufinus, Cæcilius Rufinus, Apulejus Rufinus, quidam etiam Rufinus supremo ejus anno à Cassiodoro Consul fuisse cum Torquato perhibetur. Alterius rursus Rufini nomen (nam alium esse à superioribus quinquaginta & amplius annorum intercapedo evincit) occurrit in Fastis sub Severo: eodem Imperante Junium Rufinum Præfectum Vigilum fuisse ostendit Ulpianus, [m] eodem fere tempore Memmium Rufinum à Severo occisum legimus; [n] fuit & Severo dispensator quidam Rufinus nomine, [o] Cuspii etiam Rufini ejus ævi hominis alibi fit mentio [p]: quæ omnia cum nullis solidis argumentis ad hunc nostrum Licinium trahi possint, strictim attigisse sufficiat: ego enim præterquam in d. l. 4. non putem in aliorum scriptis hujus ullam extare memoriam. Composuit autem libros Regularum duodecim aut tredecim, nisi inscriptio quædam mendosa est. [q] Addit Bertrandus huic nos acceptum ferre debere librum de collatione Mosaicarum legum cum Romanis, verum optime ab Antonio Augustino annotatum est eum librum hujus Rufini non esse, cum illic ex tribus Codicibus, Gregoriano, Hermogeniano, Theodosiano, aliquamdiu post Alexandrum editis, aliquot referantur constitutiones, quas hic noster per ætatem videre non potuit.

[l] L. 4. *quib: ad lib. procl. non l.*

[m] *L. 4. de of. pr. vigil.*
[n] *Spart. in vita Sev.*
[o] *L. 1. C. si adv. Fisc.*
[p] *L. 2. qui pet: tut:*

[q] *L. 34. de re judic.*

Æmilius Macer, hoc eum nomine fuisse Jurisconsultum

sultum nostrum constat, [r] sub Imperatore Alexandro floruisse manifestissime probatur, cum eum Imperatorem suum nominet. [f] Scripsit sane post Ulpianum & Paulum, nam utrumque horum aliquoties citat: [t] meminit & Tarenteni Paterni, ut in ejus vita observatum est. Reliquisse autem Macrum hos libros, & quidem omnes binos, ex Indice discimus, militarium 2. Publicorum sive de Publicis judiciis 2. de officio Præsidis 2. εἰκοστῶν (sive ut Inscriptiones legum habent de vicesima hæreditatum) 2. de appellationibus 2. ex quibus singulis aliquas nobis lacinias conservaverunt pandectarum compilatores: addit Bertrandus ex Prisciano libros annalium. [u]

r L. 13. de Transact. l. 68. ad leg. Falc.
f L. 1. si pend. app.
t D. l. 68. ad leg. Falc. l. 13. de re milit.
u Prisc. lib. 10. c. 1.

Herennius Modestinus, Discipulus Ulpiani fuit è Dalmatia, ut videtur, oriundus, nisi malumus eum cum in Dalmatia esset, Ulpianum consuluisse ex his verbis, *Quod & Herennio Modestino studioso meo de Dalmatia consulenti rescripsi.* [x] Utramcunque sequamur sententiam, certe constat Bertrandum inde colligere nou posse hunc nostrum in Dalmatiâ Proconsulem fuisse: id enim Ulpianus minime dicit, neque credibile est eum tanti fastus fuisse; ut Proconsulem Provintiæ, sine ullo elogio simpliciter studiosum suum vocaret. Quare hoc ejus commentum rejiciamus, sicut ipse fictitium Modestini consulatum, quem illi Rivallius, aliique sub annum sextum Alexandri assignant, rectissime dispungit. Cæterum sub Alexandro vixisse satis constat; [y] cujus consiliarius à Lampridio fuisse perhibetur, & post eum præceptor Maximini Junioris, ut hinc discimus, *Grammatico Latino usus est Philemone, Jurisperito Modestino:* [z] non mirum igitur si & Gordiani ætatem attigit, à quo *Non contemnendæ auctoritatis Jurisconsultus* dictus est. [a] Atque inde

x L. 52. §. 20. de Furt.
y L. 29. ad leg. Cor: de s:
z Lamp. in Max. Jun:
a L. 5. C. ad Exhib.

inde contra Bertrandum argumentum ſumo reſcriptum quoddam Severi & Antonini ad hunc noſtrum Juriſconſultum non pertinere [b] cum quod illud quinque & triginta ante Gordianum annis eſt emiſſum, tum etiam quia ex ejus inſpectione ſatis apparet, rem neque æquam neque uſitatam ab illo (quiſquis fuit) Modeſtino fuiſſe poſtulatam, quod in hunc tantum Juriſconſultum cadere non videtur. Extant hujus noſtri Penochæ verſibus ſcriptæ, quibus Virgiliani operis materiam breviter complexus eſt, unde liquet fuiſſe hunc Juriſconſultum Poëtices perquam ſtudioſum. Citat autem Modeſtinus ſæpius Scævolam, Ulpianum, Paulum: [c] ipſe rurſus ab Arcadio Chariſio. Cum honore refertur, dum ait, *Herennius Modeſtinus & notando & diſputando bene & optima ratione decrevit.* Scripta ejus juridica hæc ſunt, Reſponſorum libri quindecim: Pandectarum duodecim: Regularum decem: differentiarum libri novem: Excuſationum ſex: (quos Græce ſcripſiſſe ſe teſtatur [d]) de pœnis quatuor. Tum etiam ſingulares aliquot de præſcriptionibus: de inofficioſo Teſtamento: de manumiſſionibus: de legatis & fideicommiſſis: de Teſtamentis: de durematicis: de enucleatis caſibus: de differentia dotis: de ritu nuptiarum: Præter hos in Indice commemoratos ſcripſiſſe etiam deprehenditur, quoſdam libros ad Quintum Mucium: nam decimiquarti [e] & trigeſimi ſecundi alibi fit mentio. [f] Quid autem Bertrando in mentem venerit, ut libros quoſdam ex Caſſio Juriſconſulto huic noſtro aſſignaverit, equidem neſcio, loca enim ab ipſo adducta, [g] ſatis perſpicuè Javolenum auctorem præ ſe ferunt, niſi forte in mendoſiſſimum Codicem inciderit Bertrandus.

Hermogenianus, poſtremo loco à nobis collocatur

b L. 1. C. *ſi cert. pet.*

d L. 1. *de Excuſat:*

e *L.* 53. *de acq. rer. d.*

f L. 54. *d. Tit.*

g L. 111. 112. 113. 114. *de verb. ſign:*

exemplo eorum qui Catalogum Pandectis præfixum compoſuerunt: neque enim l. 14. ad Sctum Trebellianum tota eſt Hermogeniani, ſed principium tantum, reliqua vero ſunt Ulpiani, ut & antecedentia: [h] alioqui dicendus foret hic noſter ſub Antonino Caracalla vixiſſe, nam ejus ibi fit mentio. Sed quod Cujacius putat Hermogenianum ſub Alexandro ſcripſiſſe id ego (pace tanti viri dixerim) aliter ſe habere exiſtimo, his præcipue inductus argumentis. Legis Fabiæ de Plagiariis pœna primis temporibus pecuniaria fuit, [i] ea ad Alexandri uſque tempora duravit, [k] imo & ſub Imperio Diocletiani & Maximiani nondum exoleverat, ut probant hæc verba, *Intelligis te in legem incidiſſe quæ ſuper hujuſmodi delictis certam pœnam fiſio inferendam ſtatuit*, [l] inſerta conſtitutioni, quæ facta eſt Auguſtis conſulibus, ſive Diocletiano tertium & Maximiano conſulibus tertio idus Martias. Tandem iidem Imperatores huic delictorum licentiæ majore ſeveritate occurrendum exiſtimantes, eodem anno ſexto. Id us Decembris, pœnam eam exaſperarunt, & capitalem conſtituerunt: [m] eoſque ſecutus Conſtantinus mortis aut metalli pœnam irrogavit. [n] Hæc cum ita ſint crediderim Hermogenianum noſtrum circa Diocletiani vixiſſe tempora, cum ipſe ſic loquatur, *Pœna pecuniaria ſtatuta lege Fabia in uſu eſſe deſiit*, id enim ante Diocletianum verè dici non potuit. Neque obſtat quod Ulpianus legis Fabiæ capitalem pœnam agnoſcere videtur, [p] poteſt enim reſponderi locum iſtum à Triboniano eſſe interpolatum: certe Marcianus, qui ſub Antonino Caracalla & poſt eum vixit, hanc capitalem aut metalli pœnam ignoravit, ita enim loquitur *Exemplo legis Aquiliæ, ſi is propter quem quis in Fabiam commiſit*

h *Cuj. lib. 2. obſ. c. 27.*

i *L. fin. ad leg. Fab. de Plag. l. 3. §. 1. ibid.*

k *L. 3. C. ad leg. Fab. de Plag.*

l *L. 6. C. d. Tit.*

m *L. 7. C. d. Tit.*

n *L. fin. C. d. Tit.*

p *L. 1. dict. Tit.*

misit deceſſerit, adhuc accuſatio & pœna legis Fabiæ ſupereſt: [q] cui loco ſi jungatur alius, ubi idem de judicio ſervi corrupti ſtatuitur, [r] facile patebit utrobique de pœna pecuniaria agi. Nec magis me movet Juſtiniani auctoritas qui & ipſe capitalis pœnæ meminit: nam & idem Imperator ibidem legis Juliæ de adulteriis pœnam capitalem facit quæ tamen (ut à viris maximis demonſtratum eſt) ab initio capitalis non fuit, ſed poſtea per Principum conſtitutiones facta eſt. Præterea ex alio loco ſatis colligi videtur, ante Diocletiani tempora Plagii crimen non fuiſſe publici ſed Privati Judicii. [t] Facit pro hac noſtra opinione de Hermogeniani ætate quod (ut ſupra attigimus) poſtremus in Catalogo recenſetur, & ſæpe leges ab ipſo ſcriptæ ſunt finales titulorum, aut inter duas Ulpiani vel Pauli mediæ inſeruntur ut diverſis locis videre licet. [u] Quibus & hæc accedat conjectura, quod hic noſter multa vocabula barbara uſurpat, ut καμηλάϛια, & alia, [x] quæ ante ſedem Imperii Conſtantinopolim tranſlatam cognita fuiſſe non videntur. Meminit cujuſdam Hermogenis in Alexandro Lampridius, ſed noſter ubique in Pandectis Hermogeniani nomen præfert. Scripſit autem Epitomarum Juris libros ſex: itemque libros Fideicommiſſorum, ſi ſatis ſincera eſt inſcriptio [y] loci ſupra allegati, quæ mihi valde ſuſpectam ſe facit ob rationes à Cujacio allatas. Quod Bertrandus hunc Juriſconſultum Chriſtianum fuiſſe conatur evincere quia ſcribit propter Sacerdotium à matrimonio potuiſſe recedi, [z] id ego uſque quaque probare non poſſum: neque puto aut Chriſtianis veteribus licuiſſe ea ſola de cauſa, vel ob ſterilitatis vitium à matrimonio contracto recedere, aut inter prima iſta Eccleſiæ, vixdum

q L. 3. §. 1. d. Tit.
r L. 5. §. fin. de ſerv. corr.
t L. 13. C. d. Tit.
u L. 14. ad Sctum Treb: l. 17. de minor. l. 2. de bon. Poſſ. c. t. l. 11. Ratam. rem hab: l. 3. de ventr: in poſ. m.
x L. 1. de mun:
y D. l. 1. 4. ad Sctum Tr.
z L. 60. de donat. inter vir. & ux:

dum à perſecutione reſpirantis, incrementa, divortia quæ bona gratia fierent, [a] vix ipſis Gentilibus ſatis probata, locum ſibi reperiſſe.

a L. 62. d. Tit.

FINIS.

INDEX

INDEX

Juriſconſultorum, de quorum vitis hic agitur.

A.

A Burnius Valens pag. 127.
Acilius L. p. 22.
Aculeo C: p 66.
Ælius Pætus p. 18 *&* 19.
Ælius Pætus Catus p. 19 *&* 20.
Ælius Pætus Tubero Q. p. 50, 51 *&* 52.
Ælius Tubero Q. p. 93, 94 *&* 95.
Ælius Gallus p. 71.
Ælius Martianus p. 171, 172 *&* 173.
Ælius Macer p. 195.
Æmilius Papinianus p. 164, 165, 166 *&* 167.
Africanus Cecilius S. p. 146, 147, 148 *&* 149.
Alimentus Cincius p. 16 *&* 17.
Alfenus Varus P. p. 86.
Aminius Rebilus p. 138.
Antiſtius Labeo L. Pater p. 88 *&* 89.
Antiſtius Labeo Q. Filius p. 98, 99, 100 *&* 101.
Anthus ſive Antianus Furius p. 189.
Appius Claudius p. 68.
Appius Claudius Cæcus p. 6, 7, 8 *&* 9.
Appius Claudius Decemvir p. 3, 4 *&* 5.
Aquila Gallus J. p. 191.
Aquilius Gallus C. p. 62, 63 *&* 64.
Arcadius Aur: Chariſ: p. 190.

Ariſto T. p. 121, 122, 123 & 124.
Appianus, p. 128, 129 & 130.
Arrius Menander, p. 173 & 174.
Atejus Pacuvius C. p. 88.
Atejus Capito C. p. 95, 96, 97 & 98.
Attilicinus p. 113.
Attilius P. p. 21.
Aufidius Tucca p. 87.
Aufidius Namuſa p. eâdem.
Aufidius T. & Cn. p. 68.
Augur Mut: Scæv: Q: p. 47 & 48.
Aulus Caſcellius p. 80, 81 & 82.
Aulus Oſilius C: p. 83, 84 & 85.
Aurelius Arcadius Chariſ. p. 190.

B.

Balbus L. Lucilius p. 64.
Bilienus C: p. 66.
Blæſus p. 72.
Brutus Junius M: p. 42.
Bucullejus M: p. 66.

C.

Cæcilius p. 90.
Cæcilius Africanus S. p. 146.
Cæcilius Antipacer L. p. 48 & 49.
Cælius Sabinus p. 115.
Cæſius T. p. 87.
Cajus Aquilius Gallus p. 62, 63 & 64.
Cajus Aculeo p. 66.
Cajus Atejus Capito p. 95, 96, 97 & 98.

Cajus Atejus Pacuvius p. 88.
Cajus Aulus Ofilius p. 83, 84 & 85.
Cajus Juventius p. 65.
Cajus Bilienus p. 66.
Cajus Fimbria p. eâdem.
Cajus Martius Figulus p. 32.
Cajus Livius Druſus p. eâdem.
Cajus Viſellius Varro p. 67.
Cajus Caſſius Longinus p. 107, 108, 109, 110 & 111.
Cajus Trebatius Teſta p. 78, 79 & 80.
Calliſteratus p. 169 & 170
Calviſius p. 140.
Campanus p. 139.
Cartilius p. 137 & 138.
Caſcellius Julius p. 80, 81 & 82.
Caſſius Longinus C. p. 107, 108, 109, 110 & 111.
Caſſius Longinus p. 114.
Cato Portius Filius p. 39 & 40.
Catus Petus Æl. F. p. 19 & 20.
Cerbidius Scævola Q. p. 160, 161, 162 & 163.
Celſus Pater p. 116 & 117.
Celſus Filius p. 125 & 126.
Chariſius Arcadius Aurel. p. 190.
Cicero Tullius M p. 69 & 70.
Cincius Alimentus L. p. 16 & 17.
Claudius Appius Decemvir p. 3.
Cinna p. 89 & 90.
Claudius App: p. 68.
Claudius Saturninus p. 191 & 192.
Claudius Tryphonianus p. 170 & 171.
Clemens Pactumejus p. 187.
Clemens Terentius p. 158.
Cneus Flavius Annii Fil. p. 10.

Cneus Aufidius p. 68.
Coccejus Nerva Pater p. 106 & 107.
Coccejus Nerva Filius p. 114.
Consa P: p. 68.
Cornelius Nasica Corculum p. 21 & 22.
Cornelius Scipio Nasica P: p. 22 & 23.
Cornelius Nasica Serapio p. 23, 24, 25 & 26.
Crassus Licinius P: p. 15 & 16.
Crassus Liev: Luc: p. 56, 57 & 58.
Crassus Licinius Mutianus p. 45, 46, 47 & 48.

D.

Domitius Labeo p. 132 & 133.
Domitius Ulpianus p. 174, 175, 176, 177, 178, 179 & 180.
Drusus Liv: C: p. 32 & 33.

E.

F.

Fabius Pictor p. 27 & 28.
Fabius Labeo Q: p. 28, 29 & 30.
Fabius Mela p. 137.
Fabius Sabinus 189
Fælix Lælius p. 141.
Fimbria C: p. 66.
Ferox Ursejus p. 130 & 131.
Figulus Martius p. 32.
Flavius Annii Filius Cn: p. 10.
Flavius Licinianus p. 71.
Florens Tertullianus Sept: 167, 168 & 169.

Flo-

Florentinus p. 193 & 194.
Fronto Papyrius p. 188.
Fufidius p. 132.
Fulcinius Priſcus 137.
Furius Antianus p. 189.

G.

Gajus p. 153, 154 & 155.
Galba p. 72 & 73.
Gallus Aquilius C. p. 62 & 63.
Gallus Ælius p. 71.
Gallus Aquila J. p. 191.
Gellius Publicius p. 90, 91 & 92.
Gnæus Flavius Annii Filius p. 10.
Gracchanus Jun: p. 72.
Granius Flaccus Licinianus p. 71.

H.

Herennius Modeſtinus p. 196, 197, 198, 199 & 200.
Hermodorus Epheſius p. 5 & 6.
Hermogenianus p. 197, 198, 199 & 200.

I.

Javolenus Priſcus p. 117, 118 & 119.
Junius Brutus M. p. 42 & 43.
Junius Gracchanus p. 72.
Junius Mauricianus p. 157 & 158.
Julius Gallus Aquila p. 191.
Julius Paulus p. 180, 181, 182, 183 & 184.
Julianus Salvius p. 142, 143, 144, 145 & 146.

Justus Papyrius p. 163 & 164.
Juvencius C: p. 65.
Juvencius Celsus pater p. 116 & 117.
Juvencius Celsus Filius p. 125 & 126.

L.

Labeo Antistius Pater p. 88 & 89.
Labeo Antistius Filius p 98, 99, 100 & 101.
Labeo Domitius p. 132 & 133.
Labeo Fabius Q. p. 28, 29 & 30.
Lælius Fælix p. 141.
Licinius Crassiis P. p. 56, 57 & 58.
Licinianus G. F. p. 71.
Licinus Rufinus p. 194.
Livius Drusus p. 32 & 33.
Longinus Cassius C. p. 114 & 115.
Longus seu Longinus p. 66.
Longus Sophus p. 11 & 12.
Lucilius Balbus p. 64.
Lucius Acilius p. 21.
Lucius Cincius Alimentus p. 16.
Lucius Cælius Antipater p. 48 & 49.
Lucius Licinus Crassus p. 56, 57 & 58.
Lucius Lucilius Balbus p. 64.
Lucius Valerius p, 68.
Lucius Volusius Mæcianus p. 155 & 156
Lucius Æmilius Papinianus p. 164, 165, 166 & 167

M.

Macer Æmilius p. 195.
Mæcianus Volusius p. 155 & 156

Manius Manilius p. 40, 41 & 42.
Manilius M. ibidem.
Manlius Torquatus p. 30 & 31.
Marcellus M p 68.
Marcellus Ulpius p. 158, 159 & 160
Marcianus Ælius p. 171, 172 & 173.
Marcus Bucculejus p. 66.
Marcus Coccejus Nerva Pater p. 106 & 107
Marcus Junius Brutus p. 42 & 43.
Marcus Lucullus p. 67.
Marcus Tullius Cicero p. 69 & 70,
Maſurius Sabinus p. 102, 103, 104 & 105.
Mauritianus Junius p. 157 & 158
Maximus Rutilius p. 190.
Maximus Corn: Q. p. 73 & 74.
Mela Fabius p. 137,
Menander Arrius p. 173 & 174.
Meſſius p. 189.
Minicius Natalis p. 139.
Modeſtinus Herennius p. 196, 197, 198, 199 & 200.
Mutianus Lic. Cr: p. 45, 46 & 47.
Mutius Scævola Augur p. 47 & 48.
Mutius Scævola Pont. M. p. 43, 44 & 45.

N.

Namuſa A. p. 87.
Naſica Scipio P. p. 21 & 22.
Naſica Corculum P. p. 22 & 23.
Naſica Serapio p. 23, 24, 25 & 26.
Natalis Minicius p. 139.
Neratius Priſcus p. 120 & 121.
Nerva Pater p. 106 & 107.
Nerva Filius p. 114.

O.

Octavenus p. 139 & 140
Ofilius Aulus p. 83, 84 & 85.
Orbius P, p. 67.

P.

Paconius p. 191.
Pacuvius Atejus C. p. 88.
Pætus Ælius p. 18 & 19.
Pactumejus Clemens p. 187.
Pætus Ælius Catus S. p. 19 & 20.
Pætus Ælius Tubero Q. p. 93, 94 & 95.
Papinianus Æmilius L. p. 164, 165, 166 & 167.
Papyrius p. 1, 2 & 3.
Papyrius Fronto p. 188.
Papyrius Juſtus p. 163 & 164
Papyrius Sextus p 64.
Paternus Tarentenus p. 86 & 87.
Paulus Virginius p. 19 & 50.
Paulus Julius p. 180, 181, 182, 183 & 184.
Pedius Sextus p. 185 & 186.
Pegaſus p. 116.
Phorus Antianus p. 189.
Pictor Fabius S. p. 27 & 28.
Plautius p. 138.
Pompejus Sext: p. 50.
Pomponius S. p. 135 & 136.
Pomponius J. p. 150, 151 & 152.
Portius Cato Pater p. 34, 35, 36, 37, 38 & 39.
Portius Cato Filius p. 39 & 40.

Priſ-

Priſcus Fl: p. 87.
Priſcus Javolenus p. 117, 118 & 119.
Priſcus Neratius p. 120 & 121.
Priſcus Fulcinius p. 137.
Proculus Sempronius p. 112 & 113.
Publicius Gellius p. 90, 91 & 92.
Publicius Attilius p. 21.
Publius Alfenus Varus p. 86.
Publius Cornelius Sc. Naſica p. 21 & 22.
Publius Corn: Naſica corculum p. 22 & 23.
Publius Corn: Naſica Serapio p. 23, 24, 25 & 26.
Publius Ælius Pætus p. 18 & 19.
Publius Conſa p. 68 & 69.
Publius Licinius Craſſus p. 15 & 16.
Publius Licinius Craſſ: Mutianus p. 45, 46, 47 & 48.
Publius Juvencius Celſus p. 125 & 126.
Publius Mutius Scævola p. 47 & 48.
Publius Orbius p. 67.
Publius Quintilius p. 68.
Publius Rutilius Rufus p. 52, 53, 54, 55 & 56.
Publius Sempronius longus p. 11 & 12.
Publius Sempronius Tuditanus p. 14, 15 & 16.
Puteolanus p. 186.

Q.

Quintilius P. p. 68.
Quintus Ælius P. Tub: p. 50, 51 & 52.
Quintus Ælius Tubero p. 93, 94 & 95.
Quintus Antiſtius Labeo F. p. 98, 99, 100 & 101.
Quintus Cerbidius Scævola p. 160, 161, 162 & 163.
Quintus Cornelius Maximus p. 173 & 174.
Quintus Fabius Labeo p. 28, 29 & 30.

Quintus Fabius p. 13 *&* 14.
Quintus Lucretius Vespillo p. 67.
Quintus Mutius p. 13 *&* 14.
Quintus Mutius Scæv: Augur p. 47 *&* 48.
Quintus Mutius Scævol: Pont: Max: p. 58, 59, 60 *&* 61.
Quintus Saturninus p. 192 *&* 193.
Quintus Septimius Fl: Tert: p. 167, 168 *&* 169.

R.

Rebilus Aminius p. 138.
Rufinus Licinius p. 194
Rufus Rutilius M. F. p. 52, 53, 54, 55 *&* 56.
Rutilius Rufus pp. iisdem.
Rutilius Maximus p. 190.

S.

Sabinus Fabius p. 189.
Sabinus Cælius p. 115 *&* 116
Sabinus Masurius p. 102, 103, 104 *&* 105
Salvius Julianus p. 142, 143, 144, 145 *&* 146.
Salvius Aristo p. 123
Saturninus Claudius p. 191 *&* 192.
Saturninus Quintus p. 192 *&* 193
Saturninus Venulejus p. 194.
Scævola Cerbidius Q. p. 160, 161, 162 *&* 163.
Scævola Augur p 47 *&* 48.
Scævola Mutius p. 43, 44 *&* 45.
Scævola Pont: Max: p. 43, 44 *&* 45.
Scipio Nasica p. 21 *&* 22.
Sempronius Longus Sophus p. 11 *&* 12.
Sempronius Tuditanus p. 14, 15 *&* 16.

Sem-

Sempronius Proculus p. 112 *&* 113.
Septimius Florens Tertull. p. 167, 168 *&* 169.
Servilius p. 138.
Serapio Naſica p. 23, 24, 25 *&* 26.
Servius Fabius Pater p. 27 *&* 28.
Servius Sulpitius Galba p. 72 *&* 73.
Servius Sulpitius Rufus p. 74, 75, 76, 77 *&* 78.
Servius Valerius p. 133 *&* 134.
Sextus Ælius Pætus Catus p. 19 *&* 20.
Sextus Pompejus p. 50.
Sextus Papyrius p. 64.
Sextus Pomponius p 135 *&* 136.
Sextus Pomponius Junior p. 150, 151 *&* 152.
Sextus Cæcilius Africanus p. 146, 147, 148 *&* 149.
Sextus Pedius p. 185 *&* 186.
Soph: Sempronius Long. p. 11. *&* 12.
Sulpitius Galba p. 72 *&* 73.
Sulpitius Rufus p, 74, 75, 76, 77 *&* 78.

T.

Tarentinus Paternus p. 186 *&* 187.
Terentius Clemens p. 158.
Tertullianus p. 167, 168 *&* 169.
Teſta Trebatius p. 78 *&* 79.
Tiberius Coruncanus p. 12 *&* 13.
Titus Manlius Torquatus p. 30 *&* 31.
Titus Juvencius p. 65.
Titus Anfidius p. 68.
Titus Cæſius p. 87.
Titus Ariſto p. 121. 122. 123 *&* 124.
Titus Poſthumius 68.
Trebatius Teſta p. 78, 79 *&* 80.

Tubero Pætus Q. p. 93, 94 & 95.
Tubero Q. p. 93, 94 & 95.
Tryphoninus Claudius p. 170 & 171.
Tucca A p. 87.
Tuditanus p. 14, 15 & 16.
Tullius Cicero M. p. 69 & 70.
Tuscianus p. 186.

V.

Valens Aburnus p. 127.
Valerius L. p. 68.
Valerius Sextus p. 133 & 134.
Varius Lucullus p. 138.
Varro Visellius p. 67.
Varus Alfenus p. 86.
Vespillo Luc: R. p. 67
Vindius Varus p. 156 & 157.
Visellius Varro p. 67.
Virginius P. p. 49 & 50.
Vitellius p. 136.
Vivianus p. 140.
Ulpianus Domitius p. 174, 175, 176, 177, 178, 179 & 180.
Ulpius Marcellus p. 158, 159 & 160.
Volusius p. 80.
Volusius Mæcianus p. 155 & 156.
Ursejus Ferox p. 130 & 131.
Vulcatius p. 80.
Venulejus Saturninus p. 194.

FINIS.

ERRATA

Sic corrigenda, littera p. *significat paginam* l. *lineam.*

Urbanus lege Urbanis pag: 6 lin: ultima.
Vias lege Viai p. 8 l. 11.
potius lege potitus p. 22 l. 6.
ſalis lege ſales p. 26 l. 5.
punctum . deleatur p. 29 l. 2.
quæquæ lege quæque p. 30 l. 5.
p. 46 l. 26. adde eloquentiſſimus.
Verum lege virum p. 74 l. 11.
p. 78 l. 5. lege a Servio.
Videtur p. 87 l. 30. deleatur.
dexteræ lege dexterâ p. 88 l. 31.
Lectiſſimus lege Lectiſſimis p. 120 l. 1.
Sabino, ſupple ſucceſſiſſe p. 117 l. 30.
quod, lege quam p. 124 l. 30.
aborta lege oborta p. 125 l. 27.
enim lege eum p. 133 l. 10.
æquales lege æqualis p. 135 l. 12.
lucus lege locus p. 136 l. 32.
cum lege eum p. 136 l. 22.
ſubfeſto lege ſubleſto p. 145 l. 8.
crebiori lege crebriori p. 166 l. 21.
Cuſcianum lege Fuſcianum p. 186 l. 19.
Fifio lege Fiſco p. 198 l. 15.

In margine.

Senates lege Sanates p. 16 ſub littera *n*
42. lege 452. p. 11. *b*
Plin: nat: Hiſt. lib. 33. c. 1. p. 20 pone l. *g*
ad lege adverſus p. 31 ſub l. *p*
re lege 1. p. 34 ſub l. *d*
p. 38 ſub l. *q* lege 2
Frontir. lege Frontin p. 54 ſub l. *e*
poſt l. *f* ponatus p. 54
p 57 ſub l. *y* adde c. 1.
Inven p. 60 lege in Verr,
Patec: lege Paterc: p. 61 l. *l*
p. 70 ſub l. *t* poſt §. pone 1.
p. 77 l. *o* poſt c. pone 1.
p. 77 ſub l. *ſ* §. 0. lege 10.
p. 90 ſub l. *u* deleatur 5 ante 2.
p. 90 ſub l. *x* pro cod: lege ced:
p. 101 ſub l. *i* dal: lege dol:
p. 111 ſub l. *f* 10. lege 70.
p. eâdem l. *i* ſtatut: lege ſtatul:
p. 113 l. *g* ſupple *i*
p. 116 l. *l* lege §. ſed quia 6.
p. 122 l. *p* ep: 5. lege 3.
p. 124 l. *f* 16. lege ibid:
p. 132 l. *f* lib: 1. obſ: 69. lege c. 9.
p. 140 inter l. *g* & *ſ* inſere *r* & adde l. 8. de peric: & com:
p. 145 l. *x* inſt: lege Hiſt.
p. eâdem l. 32. pone l. *d* & adde l. 11. §. 15. de act: emti.
p. 150 l. *b* pollen: lege pollic.
p. 156 l. *c* 66. lege 86.
p. 159 inter *m* & *o* inſere *r* poſt Dione & adde lib. 72.
p. 172 inſere l. & adde l. 13. de eo quod met: cauſ:
p. 197 inſere l. *c* l. 13. de excuſat:
p. 198 deeſt *o* adde l. fin ad l. Fab: de plag:
p. 199 inſere l. *ſ* §. 19. Inſt: de publ: jud.

Cætera errata benevolus Lector ſuâ gratiâ ſupplere dignetur.

DEC 10 1935